

christo adulteros stupratoris a sacris et coire  
 arabat: qui coniugiu in dicitur Xxi gloria tollit: 7  
 quado alii tunc: angelis hoibz pstat Xxi coniugio.  
 in pan. dicitur picipio no ego s x: et ego no x 9 / 10.  
 vtrūq est pcep s illud deo x p se: hoc p paulu 8.  
 hēntē spūm  
 nuptie ex pcepti transgessione et morte pfecte sine 11 / 12.  
 qua non sunt s atq multiplicati genū humanū 14  
 idē dicitur Joh. Damascenū  
 Xxi talis p us transita qz coniugiu: no ea s pced et 17  
 lapidē minuit genū humanū / ap nupio due cause 29.  
 coniugij nūc vna tū.  
 De no simplex obū penas minat que Xbis no  
 pnt expm in breui est / pueri quomū bno vni 18.  
 si vbi helifer / q fuit murruratio marie de 10  
 uose q  
 qm scti qd comedatōe et honore: et quomū eadē 16.  
 peccatō eadē patiūt<sup>2</sup> penas: et dei senē no tū 17.  
 Xba sūt d.  
 que de concubio paulo dicitur cohoratio sūt ad Xxi 19  
 mēz et adinētia / qui dimiserūt uxorez et 20.  
 vir pōtes sui corporis no hēt q. eadē sūt senē  
 pmaritū quomū majori sūt et tirānidi sūt 20.  
 iertū qua māpū aut sūz sūz et vxor 30 / 31.  
 quod in corpore igne est impote in aīa est po  
 hēre igne et no vvi / in cōtinēz et qui ne 27.  
 quit ad iuge abstinere in breui tēpore 25.  
 pan. postq dixerat se nimū aptoz: tāqz panū 25  
 dixit ad dicit. nō sūt digni vltari aptoz. s. 26.  
 nimū / qre seip in qd cōtinēz pōner<sup>t</sup> dicit  
 volo oīz hoīz sūt me ip e 4  
 quomū Xxi talis aut cōtinētia sōm dei dicitur apulo 26  
 mēz Xxi fūctōz miracula laudat s p pē actōz 27.  
 tū laudat et beatos dicit

molestias 2e nuptie offerat / et qui 2 nubūt lenē qd 27 / 28.  
 fragi et infames hēnt.  
 est instas neccitas ob quā pan Xxi cōsul<sup>t</sup> / et fān 34 / 35.  
 hūz ea qz coniugio reg<sup>m</sup> celegre arguit  
 mlier facta in ad iūto dicitur sūt hō factū ad magister dicit 35 / 36.  
 atū malū zelotipia int<sup>o</sup> conjugatos  
 vtrime flagella no sūt nā iūu dicit hēnt s fūles 42 / 43.  
 i p pē que suscipiūt<sup>2</sup> vclut n<sup>m</sup> vers mutatur 50 / 51.  
 qd nā molestia sūt suavia sūt et iūu dicit qd sūt in  
 suame et vni lenē.  
 eū et no meū in rebz mūz Xba e inania 53.  
 iū vni parte et q volūtate suscipi gram<sup>m</sup> est 57.  
 i infelix hō quis me liberat q grā deo p dicit X. lēz 63.  
 vigos. ut sūt grāz actō. / in die iudicij no est  
 vno accipe n<sup>m</sup> mutare vestē q



christo adulteros stupratoris a sacris et coe  
 arabat: qui coniugiu dicitur Xxi gloria tollit: 7.  
 quando alii vire: angelus hōibz pbat Xxi coniugio.  
 in pan. dicitur pēpio nō ego s̄ x̄: et ego nō x̄  
 vtrūq̄ est p̄p̄m s̄ illud dicitur x̄ p̄se: hoc p̄ paulū 9/10.  
 hēntē spūm 8.  
 nuptie ex p̄p̄ti trāsitione et morte p̄ferte sine 11/12.  
 qua non s̄nt s̄ atq̄ multiplicati gen̄ humanū 14.  
 idē dicitur Joh. Damascenū  
 Xxi tas p̄us trāsita q̄z coniugiu: nō ea s̄ p̄ca et 17.  
 cupide minuit gen̄ humanū. ap̄ n̄p̄io dicitur cause 29.  
 coniugij n̄r vna h̄.  
 De nō simplex h̄u penas minat que Xbi nō  
 p̄nt exp̄m in breui est / p̄ueri quom̄ b̄n̄o 15.  
 si ubi helifer / q̄ fuit murratū marie de 16.  
 uose q̄  
 q̄n̄ f̄t̄ est comedatōe et honore: et quom̄ eadē 16.  
 peccatō eadē patiunt̄ penas: et sei senē nō t̄m 17.  
 Xba s̄nt  
 que de coniugio paulū dicitur coloratōis s̄nt ad Xxi 19.  
 m̄t̄z et adinētia. / qui dimiserit uxorem et 20.  
 vir p̄t̄z sui corporis nō h̄t̄ q̄. eadē s̄nt senē  
 marit̄ quom̄ maioris s̄nt et tirānidi s̄nt 20.  
 iert̄ qua māp̄m aut s̄us s̄nt et vxor 30/31.  
 quod in corpore igne est imp̄te in aīa est po 24.  
 hēntē igne et nō v̄ri / inatōnes et qui ne  
 quit ad iuge abstinere in breui tēpore 25.  
 pan. postq̄ dixerat se n̄m̄ apt̄z: tāq̄ panū 25.  
 dixit adinētia nō s̄nt digni v̄tari apt̄z. s̄ 26.  
 n̄m̄ / q̄re s̄ip̄ in q̄ adinētia p̄p̄er̄ dicit̄  
 volo oīz hōies s̄nt me ip̄m et 26.  
 quom̄ Xxi tas aut adinētia s̄nt sei dicitur ap̄ulo 26.  
 n̄q̄z Xxi tas miracula laudat s̄ p̄p̄t̄ actōis 27.  
 t̄m laudat et beatos dicit

quod molestias et nuptie offerat / et qui 2 nubuit lenis est 27/28.  
 seditragi et infames hēnt.  
 que est instas necc̄tas ob quā pan Xxi 3 cōsul̄ / et fān 34/35.  
 hūc ea q̄z coniugio reḡ celeste arguit.  
 mulier facta in adiutō v̄ri s̄nt h̄o fact̄ ad magis dicit̄ 35/36.  
 quātū malū zelotipia int̄ coniugatos  
 lat̄ h̄ime flagella nō s̄nt n̄a iuridit̄z hēnt s̄ fides 42/43.  
 in X p̄p̄t̄ que suscipiunt̄ velut n̄m̄ v̄er̄ mutat̄ 50/51.  
 q̄ s̄nt n̄a molestia s̄nt suavia s̄nt et iuridit̄z q̄ s̄nt in  
 gū suave et v̄n̄ lenē.  
 meu et nō meu in rebz n̄m̄ Xba s̄nt inania 53.  
 p̄m̄ v̄n̄ caritate et q̄ voluntate suscipi gram̄ est 57.  
 p̄ibi infelix h̄o quis me liberat̄ q̄ q̄ra deo p̄it̄ X. l̄ḡ 63.  
 dicitur ut sit gr̄as actō. / in die iudicij nō est  
 mutuo accipe n̄ mutare vestē

*Del Regio della Compagnia de' Gesu di Fran<sup>a</sup> B-9905*

SANCTI IOANNIS  
CHRYSOSTOMI  
DE VIRGINITATE  
LIBER,  
A IVLIO POGIANO CONVERSUS.



ROMAE, M. D. LXII.  
Apud Paulum Manutium, Aldi F.



AD CLARISSIMUM PRINCIPEM  
OTHONEM TRUCHSES, DE  
Waldburg, Augustanorum Vindelicorum  
Episcopum, S. R. E. Presbyterum  
Cardinalem amplissimum,

IULIVS POGIANVS.

VIRGINITATEM, OTHO amplissime, si christiana fide, & caritate fulta sit, tanto rebus humanis anteire existimo, quanto generi hominum antecedunt beatæ mentes: quarum præstantiam illi consecuti esse mihi uideri solent, qui restincto naturalis ardore uoluptatis, eam castitatis laudem pie, sancteque coluerunt. Quanquam haud scio an sit hominibus ad dignitatem gloriosius repugnante natura innatam immortalium uim assequi potuisse. Magnus locus, & christiani hominis proprius, nobilitatus ex illo fonte, & capite Christo; unde hæc in summum honorẽ adducta uirtus ad hominum imitationem latissime dimanauit. Is enim præter ortus, & uitæ suæ gloriam uirginitatis singularem, tantum præterea tribuit iis, qui castimonia floruerunt, ut, ad imaginem cælestium ministrorum, lectissimum ex uirginibus comitatum sibi deligeret: in quibus Ioannem Zebedei filium unice dilexit. Etenim illi præstans diuinæ uirtutis habitus eam peperit & Iesu Christi gratiam, & cælestis uim sapiëntiæ, quam deinceps admirata est omnium memoria sæculorum. Quæ cum diuinis litteris consignata sint, cum sanctissimorum uirorum & illorum tēporum partim æqualium, partim ab ea ætate recentium auctoritate

a ii comprobata;

comprobata : quid est , quòd tantis propositis & præmiis , & adiumentis non conantur homines naturæ incommodum animi contentione superare ? Quod si usque eò tardi atque hebetes sumus , ut ne explorata quidem spe amplissimæ mercedis incitemur , quæ uirginali pietati referuatur in cælum ; at excitemur præsentis theologiæ fructu , quem illi inde capiunt uberrimum , qui se pueros integrosque ad id ueritatis studium contulerunt . nam datur ipsis tanquam in manus pretium gloriosi laboris , quod indicium ac specimen quoddam sit reliquæ , ac speratæ beatitudinis . uiui , enim & præsentis Deo fruuntur , quem quasi per transfennam aspiciunt assidue , dum tota mente omniq; animo contueri liceat . Est ergo ulla species delectationis tanti , falsa præsertim , ut & huius exiguæ , & illius perpetuæ uitæ solidam expressamq; uoluptatem amittamus ? Sed fit nescio quo modo , ut maximam partem in uitiorum luto demersi defixiq; simus sic , ut nihil altum , nihil magnificum neque mente suspicere , neque actione suscipere possimus . Vt enim nocturnæ aues , si in solem incidant , insolentia diurni luminis obcæcantur : sic nos flagitiorum quibusdam affueti tenebris , in rebus illustribus nihil uidemus . quin etiam , si cælestis dexteræ beneficio nōnunquā excitati subleuemur , tamen mala cōsuetudine deprauati & oculos , & mentem idemtidem reuocamus ad turpitudinem , ut , quæ nobis diuino munere lux ueritatis oblata fuerat , ea rursus uitæ sordibus obruatur . Perdita nequitia multorum , sed intolerabilis arrogantia , qui se in officina obscœnitatis diuinæ sapientiæ magistros profiteri audeant . Hinc falsi theologi , hinc pestiferi salutarium rerum interpretes ,  
qui

qui in illa cæcitate libidinis , litteris lucem , auditoribus animi , atque ingenii lumen eripiunt . nam purissimos fontes sic incesto ore corrumpunt , ut , quidquid per eos hauseris , totū id turbidum inquinatumque sit . Pium , humilem , innocentem hominem , in primisq; purum & castum quærunt diuinæ litteræ ; impium , superbum , facinorosum , maxime uero impurum , & impudicum a sua cognitione , ac scientia repellunt . Non longe abieris . Ioannes ille Christi discipulus , idem euangelii scriptor , idem uates , non ne harum uirtutum , atque adeo huius excellentissimæ uirtutis , uirginitatis gradibus ascendens in altissimum cæli locum incomprehensam , & inexplicabilem Dei naturam & animo comprehendit , & oratione explicauit ? Quid ? Paulus alter plane Ioānes : ( ut hoc oratio mea definiatur exemplo , quod propositam rationem attingit ) is igitur , cum se totum ad eam conuertisset curam , ut Christi mores exprimeret imitando , non ne tantum illa tum uoluntate , tum imitatione est consecutus , ut , cuius uitā studeret effingere , eius mentē assequeretur non modo cogitatione , sed etiam facultate ? Quod cum ipsius omnes declarant epistolæ , tū sapientissima fidelissimi consilii de uirginitate exposita ratio maxime testatur . Tāta est enim huic cōsilio similitudo cum iis , quæ apud Matthæum de uirginali uirtute disputantur , tanta uerborū , sententiarum , ordinis conuenientia , ut ea Christum Pauli ore differuisse , nemo nisi turpiter ignorare , aut impie negare posse uideatur . Eadem est utrobiq; diuinæ rationis index indulgentia , & eam habet uim utriusque oratio , ut in summa rei difficultate propter infixū naturæ coniunctionis appetitum nullam iam hominibus  
nibus

nibus necessitatem uirginitatis imponat; ueruntamen uirginū officio celebrādo & illustrando, quibus tanquā iure hospitii deprecantibus sæpe Deus non singulorum modo hominum, sed ciuitatum, ac prouinciarum scelera, suppliciaq; condonet, omnes ad huius amorem studiumq; uirtutis adhortetur. Sed profecto se, altus animus Dei spe fiduciaq; munitus a cupiditatū illecebris inuictū facile præstat. Quare ad eam laudē omnis generis erecti multi mortales, & naturalem domuerunt libidinem, & cælestium uitæ simillimam in terris uitam egerunt. Plenum est cælum nostrorum hominum, quorum propter eximia ueræ castitatis ornamenta & consecratas ueneramus imagines, & amplissimis honoribus anniuersaria sacra conficimus. Sapientes uero, & beatos illos, qui humana specie & figura diuinam, & plane cælestem uim consecuti sunt. insanos & miseros reliquos, qui cum dignitate ad beatas mentes proxime accederent, se in impuram belluarum intemperantiam abiecerunt. Quorum alii palam uirginitate simulanda, coniugio acerrime uituperando, clam, ut moribus etiam oratio refellatur, in omni flagitiorum genere uolutati sunt. alii corporis uoluptatibus dediti, præceptoresq; libidinum, foedissimam uitæ turpitudinem cumlauerunt scelere orationis. Ex quibus partim castitatem ab hominum arbitrio, & libera uoluntate remouentes, præcipuo quodam Dei munere nonnullis insitam & ingenitam uolunt. partim quasi naturæ necessitatem usum amplexantes ac tuentes libidinis, uirginitatem reiiciunt; & tanquam tristitiam ac uitæ pestem detestantur. Contra quos omnes patrocinium cælestis causæ diuinitus a plurimis susceptum est. Extiterunt enim &  
illis

illis ipsis temporibus, quibus hæc oppugnari cæpta sunt, neque postea defuerunt, qui cum debitum nuptiis legitimis gradum honoremque tuerentur, tum admirabili uitæ integritate, scientiaq; diuinarum litterarum uirginitatis & maximam, iuuante Deo, facultatem probarent, & amplitudinem præstantiamq; defenderent. quare monumentis compluribus & Græcis & Latinis celebrata res est, quibus summi homines Iesu Christi mentem, Pauliq; cum illo cōiunctam sententiā explicauerunt uberius, & ad uirginalem palmam uehementius sunt cohortati. Atque ut omittam de aliis; ea de re ad intelligentium prudens subtileque iudicium eleganter, ne dum abundanter, & ad popularem sensum accommodate differuit hoc libro sui simillimus Ioannes Chrysostomus, de quo minus mihi multa dicenda duxi, quòd is bene de Ecclesiæ Dei nomine ac dignitate meritis, & christianam disciplinam in primis illustrauit, & ex aureo quodam eloquentiæ flumine nomen inuenit, & quod caput est, eam uitam uixit, ut in sanctorum numerum sit relatus, Deo hominibusq; approbantibus. Vtinam modo liber non intercidisset, sed ex quo primum est editus, deinceps uersatus inter hominum manus ad nostram peruenisset memoriam; multorum enim compressis uoluptatibus, mirabiles uirginitatis amores excitasset. Quare dolendum est in tanta iactura superiorum temporum, nobis uero summo-pere lætandum diuino hoc & immortali beneficio. Quod quoniam munus amplissimum habemus a Marcello, eius nominis II. Pont. Max. cum ceterarum illius uirtutum, quæ Reip. fructuosæ fuerunt, tum huius beneficentiæ laudem, qua facile excelluit, & memoria, &  
uocis

uocis testimonio conseruare debemus . Nam ille quòd acceperat a Gulielmo Sirleto Chrysoftomum de uirginitate scripsisse librum , quo libro Chrysoftomus ipse in illa nobili explanatione Pauli epistolæ ad Corinthios eum locum , quantū in se fuit, perpurgatum testaretur , egit cum homine , ut id monumentum, sicunde posset , erueret. Quare Sirletus, is uir, cuius multiplicem exquisitamque doctrinam admiramur singulari probitati ac beneficæ uoluntati parem , undique conquistum , & aliquando Florentia, Venetiisq; accersitum opus Marcello curauit . Quid multa ? considerauit ille rem : uidit quantum esset in ea christianæ perfectionis instrumentum : statim cum omnibus communicandam putauit . atque ut bonum id latius pateret, ad pluresq; pertineret , latinum Chrysoftomum fieri iussit . Quod quando mihi negotium datum est , ut librum conuerterem, mea quidem ingressio fuit eiusmodi , ut me satisfacere posse huic muneri magis optarem, quàm ullo modo sperarem . Nam, cum duplex mihi interpretandi ratio, eaq; inter se contraria proponeretur , cumq; hac ætate neutri uiderem contigisse ut omnem haberet laudem : illud etiam intelligebam , utrumcunque , præsertim in hoc scribendi genere parum exercitatus, institutum tenuissem , fore , ut propositum meum in alteram reprehensionem incurreret . Sunt enim qui simplici ueritatis ratione contenti eam interpretationem postulent, qua uerbum e uerbo exprimatur , omni præterea ornamento , omni latinæ linguæ concinnitate in græco scriptore abhorreant . Illos hoc ; alios longe diuersa delectant . Res enim modo , sententiaq; permaneat , ad rationem moremq; Romani sermonis eius explicationē  
dirigi

dirigi uolunt ; & tanquam græcum hominem in nostram ciuitatem adscitum , nostrum etiam uestitum , & ornatum imitari debere contendunt . Præclara sane ratio , & quam, licet difficillimam ad assequendum , in Demosthene tamen , aut Aeschine, quorum ars nititur eloquentia, libenter essem secutus ; in Chrysoftomo , qui salutis præcepta tradit , quæ rerum pondere , non uerborum splendore definiuntur , periculosam & lubricam existimaui . Illam uero alteram ad uerbum conuertendi uiam eatenus sum persecutus , quoad latini sermonis consuetudo ferre uidebatur . nam omnino , cum ineptum negotium , tum iniucundum putauit . Ac medium quoddam meum consilium fuit , ut ea , quorum Chrysoftomus esset auctor , iis dumtaxat exceptis uocabulis , quæ nostræ sunt propria religionis , si modo fui tanti , operam darem , uti latine redderem . Quæ uero ex ueteri , & utique ex nouo testamento protulisset , in illis fidem eius sequeretur , quem tot annos sanctissima parens probauit Ecclesia . Hæc mea ratio est . in qua mihi non sumo , ut omnem offensionem effugerim . Cuius enim impudentiæ est, id de se polliceri ? Illud affirmo tantum spectasse me , ut aliquid Christianis hominibus , qui græce nescirent , utilitatis afferrem ; nullam præterea hac in re aut laudem quærere , aut uituperationem recusare . Nunc si sit optandi locus , uellem Marcellus Pontifex , hunc , quicumque est , laboris mei ex suo munere fructum capere potuisset , ut , cum ad eum , qui & præclarum opus in commune contulerat , & mihi conuertendum dederat , & erat ipse exemplum continentiæ, de uirginitate librum misissem, propter illam tum personæ opportunitatem , tum gratam  
b animi

animi mei significationem, æquioribus uterer iis, qui in Chrysofomo uertendo maius ingenium, acrius etiam iudicium requirent. Accedit eò perspecta semper quidem omnibus eximia uiri uoluntas in studia uirtutis, & artium optimarum; mihi uero in summo eius honore multo perspectissima. Nam cum in maximo primi illius, uel potius ultimi tēporis rerum hominumq; cōcursu Pontificem Maximum salutatum uenissem, memini, cum me de Chrysofomo esset hortatus, ut laborem susciperem, gratulari bonis ac studiosis, quibus tantum accessisse diceret ad præsidium & ornamentum, quantum sibi ad honorem, & ad promerendi potestatem esset adiunctum; ut omnis propterea mea de uirtute cogitatio posita prope in cōspectu meo Marcelli imagine, tantæ benignitatis gratiam a me flagitare uideatur. Quibus & communibus, & priuatis de causis, hærebit perpetuo quidem in mente & oratione mea memoria diuini hominis; sed tamen hoc eius beneficio, quando inest in eo aliqua remunerandi uis, ad referendam illam, quam ad ineundam aliam gratiam uti maluissim. Quæ quoniam Dei iudicio sublata facultas fuit, proximum erat in Chrysofomo peruulgando & rei dignitatis, et quodammodo Marcelli uoluntatis habere rationem. Nec uero difficilis fuit ea deliberatio. nam mihi de uirginali laude cogitanti uersabatur ante oculos, uel potius feriebat oculos Reginaldus Polus Cardinalis, quod & reliquarum uirtutum specimen, & illustre exemplum castitatis habuit hæc ætas. Illud ego excellens illius animi & corporis bonum in summa ceterorum excellentia bonorum cum ex constanti hominum fama atque sermone, tum ex ipsius ore Marcelli  
sic

sic admirabar, ut me & illi, cuius mihi uiuit auctoritas, & causæ officio que meo defuturum intelligerem, nisi, quod Marcello debebam, Polo potissimum redderem. Quanquam Chrysofomi uiri sanctissimi gratiam mihi per hanc causam facile conciliari putabam posse. Ad quem enim is, aut omnino per quem sua hæc ad alios peruenire mallet, quam per eum, in quo expressam uideret effigiem animi, ingenii, temporum suorum? qui eisdem itineribus contendebat in cælum? qui uirtutis doctrinæq; studia ætati suæ fere æqualia ita coniunxerat, ut ei probitas & innocentia prudentiæ ac sapientiæ quasi fores aperuisset, scientia præstantissimarum artium uirtutem confirmasset, utraque sic adiunxisset Deum, ut per ipsum suorum operum opus omnium maximum maximeq; admirabile effecerit? Ille enim christianã ueritatem iam diu in Anglia extinctam excitarat. ille memoriam pietatis intermortuam reuocarat. illius sacrorum, illius ciuilis, illius erat omnium domestica disciplina. Quæ quanquam eius aduentu, planeq; aspectu tanquam cælestis alicuius hominis præsentia reuixerant; tamen is nisi perfecta re non conquiescebat; sed mirificam cognitionem, usumq; diuinarum & humanarum rerum ad eam referebat cogitationem, quo modo nationi suæ dignitas salusq; pareretur. Quare hic opportunius illi ueniebat adiutor, quo benefactorum beneque dictorum egregio doctore legendo & audiendo præceptis Anglia salutaribus institueretur. Sed mecum hic etiam non solum cum Anglis actum est incommodius. nam dum sustineo me, ueritus ne parum periti interpretis sermone non delectetur uir tum græce, tum latine doctissimus moritur interea Polus; ut iam  
b ii quasi



quasi quodā omine a proferēdo libro deterreri uiderer. Quem in perpetuum facile compressissem . sed institerunt aliquando poscere libri editionem ii, quibus negare non potui, præsertim cum me publici Christianæ Ecclesiæ concilii opportunitate cum hac commoditate ac nobilitate Romanæ librorum impressionis urgerent; cum denique admirabili, salutariq; exemplo diuinitus hoc incumbente Pio Pontifice Maximo ad restituendā ueterē Ecclesiæ disciplinā simul & ad certissima disciplinæ subsidia excitanda ac peruulganda litterarū, ac studiorū cōmoda, religioni habendū dicerent uirginitatis patronum non opponere petulantia plurimorum. Cessi igitur, sed ita, si, ut institueram, rei grauitati confulerem, leuemq; operam meam aliena auctoritate roborarem. Ergo mihi utrunque suppeditat ex te Otho ornatissime, qui si, quæ uideo, tantum in te esse audirem, mouerer fama laudum tuarum. Nunc, quæ tua est liberalitas, uiuo apud te, et sæpe intersum sermonibus & actionibus tuis, ut tibi uiuenti constantem istam & probatam uitam, & sacris diuinisq; rebus mirifice dedito Chrysofomi librum de uirginitate debere non possim. Quod itē a me tuum postulat flagrans, atque perpetuū studium tuendæ propagandæq; religionis: quò cum & curas, & facultates conferas tuas, præclare hoc eius & animi simulacrum, & monimentum ingenii, tibi, qui Chrysofomum imitari studes ducem communis officii, conuenire sum arbitratus. et uero gratius erit etiam illorum nomine, quibus desponderam, quorum alter bonus Pontifex, alter Pontificatu dignus, uterque & tui amantissimus, et a te cultus diligentissime sibi a me receptum, tibi persolutum officium probabit. Itaque  
habe-

habebis ab illis me interprete librum ista persona, studiis, moribus dignum, cuius nec explicandæ sententiæ commodior scriptor optari possit, quàm Chrysofomus, nec diuulgandæ magis idoneum tempus, quàm hoc. Utinam meæ partes ne desiderentur. Quòd si quid de operis pondere mea infirmitate detractum est, tamen aliquam mihi excusationis ueniam datum iri spero, quòd in hoc interpretando diuini Spiritus interprete, facultatem fortasse pio conatu, atque egregia uoluntate compensem.

## LECTORI.

CVM hunc Chrysoſtomi librum ita ſcriptum reperiffem, ut in quattuor & octoginta capita diuiſus, initio ſingulorum capitum ſeparatim deſcriptam haberet cuiuſque loci ſententiam; tametſi librarii temeritate, quæ plerunque inſcitix ſocia eſt, interciſum credidi, non ſcriptoris conſilio diſtributum, quem perpetuum operis argumentum continenti oratione explicaffe puto; tamen, ut liberum cuiuſque iudicium relinquerem, ſummas modo rerum in capitum interuallis inepte, ut mihi quidem uidebatur, & ad curſum rationis lectioniſque moleſte poſitas, tranſtuli in commodiorem locum; diſtinctionem non omnino ſuſtuli. nam & ſeruauĩ numerum, & primum quæque diuiſionis uerſum prima eius grandiori littera notandum curauĩ. Quòd ſi quid operæ nauauĩ, quòd de eo legentes admonuerim, gaudeo; ſi minus, iidem illi, quibus per me utrumuiſ ſentire integrum erit, mihi uiciffim æqui eſſe debebunt, ſi, cum ipſis fidem præſtitiffem, meam quoque de re ſententiam notam eſſe uolui.

I

S A N C T I O A N N I S  
C H R Y S O S T O M I  
A R C H I E P I S C O P I C O N S T A N -  
T I N O P O L I T A N O R V M ,  
D E V I R G I N I T A T E .

I.

I V D A E I uirginitatis laudem aspernantur: neque mirum, quando etiam ipsum, natum ex uirgine, Christum ignominis afferunt. contra uero gentes admiratione uirginitatis obstupescunt: quam tamen sola colit Ecclesia Dei. nam hæreticorum uirgines ego uirgines esse minime dixerim: primum, quòd illæ castæ non sunt; neque enim ex sanctissimi illius uiri sententia, qui uirginem Christo conciliat, desponsæ sunt uni uiro: Despondi enim, inquit is, uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. quod etiam si de uniuersa Ecclesia dictum est, tamen illas etiam hæc complectitur oratio. Quo modo igitur, quæ uno uiro non contentæ, alterum, qui non est, Deum introducunt, castæ esse poterunt? Quare primum ex iis, quæ diximus, deinde, quòd contumeliosæ in nuptias in eum locum processerunt, ut conubiis abstineant, uirgines esse non possunt. quòd enim coniugium malum esse lege sanxerunt, ea anticipatione sibi præmia uirginitatis ademerunt. non enim, qui uitia cauent, corona donandi sunt; sed eos a pœna tantummodo uacuos esse decet. et quidem uidere licet, non solum id nostris esse, sed externis etiã legibus constitutum: inquit enim lex, Homicida morte multator: at non præterea adiicit, Qui hominem non occiderit,

2. Cor. II.

II.  
Virginitatem  
hæreticorum  
mercedem non  
habere.

A derit,



derit, honore afficitor. item, Fur plectitor: at non eum etiam, qui neminem ulla re laeserit, præmium capere iussit. ac leges ipsæ adulterum occidentes, eum, qui coniugium non uiolat alienum, nullo dignandum honore censuerunt: & iure id quidem optimo: laudem enim, & admirationem habere, recte facientium est, non eorum, qui uitia declinauerunt. nam præclare cum illis agitur, si nulla ad eos pœna peruenerit. itaque Dominus noster, si qui temere, ac sine causa fratri iratus fuerit, uel eundem stultum appellauerit, ei geennam est comminatus, non etiam iis, qui neque fratri sine causa succensuerint, neque in eum maledicta contulerint, regnum cæleste promisit; sed plus eo quiddam maiusque requisit, dum inquit, Diligite inimicos uestros. cumque uellet ostendere, parum admodum esse, & uile, & plane nullo dignum pretio, fratres non odisse, multo maius illud adiunxit, ut eos ipsos beneuolentia, & amore complectamur. ac ne id quidem satis esse nobis inquit, ut honorem aliquem consequamur. nam qui id fieri possit, si amplius ea in re, quàm ethnici, nihil assequimur? quare longe maiores accessiones faciamus, oportet, si quidem mercedem exigere uoluerimus. Neque enim, quia te, inquit, ad geennam non damno, quòd in fratrem maledictis abstineras, nec in eum sis offensior, propterea tute corona donandus tibi esse uideare. tantum enim abest, ut abs te isto comitatis modo contentus sim, ut, etiam si te non solum non ei conuicium facere, uerum eundem amare dixeris, tamen adhuc & circum terram uolueris, & in publicanorum numerum ascribaris. Quòd si perfectus, ac cælo dignus esse uis; istic modo ne constiteris,

stiteris, sed altius ascendito, & eam, quæ supra naturam ipsam est, cogitationem suscipito, ut inimicos beneuolentia prosequare. Cum igitur undique hoc nobis constet, desistant hæretici frustra se ipsos affligere. nullam enim afflictationis suæ mercedem accipient; non quia sit iniustus Dominus; (nefas enim id dictum est) sed quòd iniqui ipsi, ac scelesti. quid ita? quia demonstratum est, nullum iis, qui uitia tantummodo deuitarunt, præmium esse propositum. ipsi autem matrimonium malum statuentes, eo abstinerunt. quo modo ergo, quòd a malo abfuerint, mercedem illis postulare licebit? ut enim nos, quòd non sumus adulterati, digni non erimus, qui corona donemur: ita ne illi quidem, quòd a coniugio abhorruerunt. nam sic cum ipsis aget summo illo die is, qui iudicium inter nos exercebit: Non equidem illis præmia constitui, qui tantum a culpa sunt alieni; (parui id enim duco) sed, qui uirtutes omnes complexi fuerint, hos in cæleste domicilium introducam, ubi beati hæreditate sempiterna fruantur. Quid igitur est, quamobrem, cum statueritis matrimonium cum obscenitate, & scelere esse coniunctum, & eo propterea abstineritis, præmia, quæ recte facientibus debentur, uobis ob delictorum fugam dari postuletis? non enim, si agnos a dextra collocat, & eosdem collaudatos in cælestem regiam introducit, id eo facit, quòd aliena non diripuerint, sed quòd aliis sua dispertuerint. neque, si is, cui quinque talenta credita sunt, Domino probatus est; tam id factum est, quòd de commissa sibi pecunia quidquam non diminuerit; quàm quòd eam auxerit, ac duplicatum depositum Domino reddiderit. Quousque igitur progrediemini, inani uos

A ii cursu

Matth. 5.

Matth. 25.

curfu exercentes? quàm diu laborem irritum fuscipie-  
tis? quem ad finem, aera uerberantes, frustra pugna-  
bitis? atque utinam solum id frustra fit. nam haud  
parua poena illa fuerit, pro multis laboribus, proq;  
spe præmiorum, maiori certe, quàm laborum ratio po-  
stulet, quo die honorem uobis habitum iri speratis,  
in eorum poni numero, qui ignominia notabuntur.

III.

Hæreticorum  
uirginitatis  
pœnas pēdere

Matt. 22.

Nec uero hic illis erit malorum modus: neque solum  
id detrimenti facient, ut nihil lucrentur; sed alia multo  
his grauiora mala subibunt: æterno enim igne com-  
burentur, uermi corrodentur immortali, tenebris  
exterioribus obruentur, angoribus, atque angustiis  
cruciabuntur. Quamobrem innumerabilia nos ora  
habere, & angelica ui præditos esse oporteat, ut  
Deo pro eius cura de nobis satis digne gratias age-  
re possimus: uel potius ne sic quidem comparati id  
assequi queamus: qui enim id fieri possit? nam cum  
pari nos cum hæreticis labore (nisi fortasse longe  
illi maiorem inde fuscipiunt molestiam) colenda uirgi-  
nitate exerceamur; haudquaquam pares laborum fru-  
ctus utrique percipimus. illos enim & uincula, & lacry-  
mæ, & gemitus, & æterni cruciatus consequentur: nos  
contra, consortes erimus angelorum, ubi fulgentes  
lampades collucebunt; &, quod caput est bonorum o-  
mnium, sponsi consuetudine fruemur. Sed quamobrē  
iisdem laboribus contraria præmia tribuuntur? quòd  
illi, diuinæ legi uti legem ferrent aduersariam, uirgini-  
tati se dediderunt; nos, ut Domini uoluntati parrea-  
mus, eadem effcimus. Deum autem uelle, omnes uti  
coniugio abstineant, testis est is, qui Christum in se  
loquentem habuit: Volo enim, inquit, omnes homi-  
nes

1. Cor. 7.

nes esse, sicut ego sum. Quòd uero nobis parceret Salua-  
tor noster, quodq; sciret spiritum quidem esse prom-  
ptum, carnem autem infirmam, minime id necessario  
iusso seruandum constituit, sed animis nostris solutam  
esse uoluit eligendi optionem. nam si præscriptum ef-  
set, & lex, nunquam iis, qui id perfecissent, is honor  
habitus esset, sed illud responsum a Domino tulissent,  
Fecistis quod facere debuistis: neque iis, qui rem non  
assecuti fuissent, esset ignotum; sed iis, qui leges negli-  
gunt, constitutam poenam sustinerent. nunc uero cum  
illud dixerit, Qui potest capere, capiat; non eos con-  
demnauit, qui minus id assequi possunt; sed illis, qui  
rei facultatem habent, multum, atque adeo maximum  
certamen proposuit; ob eamq; causam Paulus, magistri  
sui uestigia persequens, præceptum Domini se non ha-  
bere dicit, sed dare consilium. At uero neque Mar-  
cio, neque Valentinus, neque Manes eam moderatio-  
nem tenuerunt: neque enim Christum in se loquen-  
tem habuerunt, qui suis ouibus parcat, pro quibus  
etiam uitam posuit, sed homicidam illum mendacii pa-  
rentem. quamobrem eos omnes, quicumque fuerunt  
dicto audientes, iidem illi perdiderunt. nam ipsos in  
igné sibi paratum ad inferos traxerunt secum, quos ina-  
nibus in uita, & intolerabilibus laboribus exercuerant.  
O miserrimam uestram conditionem, atque etiam gen-  
tium statu miseriores. nã, etsi gentes grauiora apud inferos  
geennæ manent supplicia, tamen certe, dum uiuunt,  
coniugii, & pecuniæ, ceterarumq; rerum, quæ in uita iu-  
cunditatem habent, uoluptatem percipiunt: uos uero  
tormentis, & cruciatibus utrobique affecti, & præsentis  
uoluntarii, & mortui inuiti sempiternam poenam susti-  
netis.

IIII.

Detestationē  
coniugii sata-  
nicæ immani-  
tatis esse.

V.

Hæreticos,  
quod ad cultū  
uirginitatis at-  
tinet, genti-  
bus etiam mi-  
feriores esse.

netis . ac gentibus quidem pro ieiunio , & uirginitate neque mercedem dederit quisquam , neque eisdem supplicium constituetur : uos autem , pro quibus innumerabilibus laudibus celebratum iri sperauistis , pro eisdem extremas pœnas persoluetis ; idq̄ ; cum aliis responsum feretis a Domino , Quòd ieiunium uirginitatemq̄ ; seruastis , discedite a me in ignem paratum diabolo , & angelis eius : nam neque ieiunium , neque uirginitas per se bona , uel mala sunt , sed eorum proposito , qui illa colunt , ita uel bona , uel mala efficiuntur . neque uero ea uirtus gentibus fructuosa est : receperunt enim mercedem suam , quia hanc ipsam uirtutem metu Dei non coluerunt . at uos tum propter bellum , quod cum Deo geritis , tum propter crimen , quod eius operibus affertis , non modo mercedem uestram recepistis , sed præterea pœnas dabitis : nam pro decretis uestris ducemini in gentium loco , atque numero : quandoquidem æque , atque ipsæ gentes , uero , & unico Deo reiecto , multitudinem deorum introduxistis . pro uitæ autem instituto melius cum illis , quàm uobiscum , agetur . nam eatenus illæ damnum facient , ut nihil boni adipiscantur : uobis præterea fiet accessio malorū . adde , quòd illis ipsis in uita uoluptatibus omnibus frui licuit : uos omnibus utrobique caretis . Num ergo pœna grauior esse potest ulla , quàm , pro mercede laboris , & sudoris , perferre supplicia ? Adulter , auarus , is , qui in alienis rebus luxuriosus fuit , direptor denique proximorum , omnes certe solatii aliquid habent , breue illud quidem , sed tamen aliquid , quòd eorum causa plectuntur , quibus hic delicate , molliterq̄ ; uixerunt . At qui paupertatem perfert uoluntariam , ut , cum e uita mi-

grarit ,

grarit , locupletetur , qui uirginitatis labores sponte suscipit , ut illic exultet cum angelis ; is , si repente , ac præter omnem expectationem hisce de rebus plectatur , quarum se innumerabilia præmia consecuturum sperauit ; non dici queat , quantum capiat doloris , ubi illa , contra quàm omnino sperauerat , mala subierit . ego enim ipsum conscientia æque atque flamma cruciatum iri existimo , cum eiusdem consortes laboris apud Christum commorari uidebit , & , ob quæ infinitis illi fruuntur bonis , ob ea se extrema supplicia sustinere , in illaq̄ ; uirginitate grauiora ferre mala , quàm luxuriosi , nequissimiq̄ ; homines patiantur . Etenim hæreticorum continentia omni est libidine flagitiosior . illa enim hominum modo offensionibus terminatur : at ista cum Deo pugnat , & in eius infinitam sapientiã iacit contumeliam . diabolus autem suis cultoribus eiusmodi tendit insidias : eius enim fraude uirginitatē hæreticorum subtiliter inuentam esse , non ego mea , sed is , qui diaboli consilia non ignorat , sua oratione testatum reliquit . quid igitur inquit ille ? Spiritus manifeste dicit , quòd in nouissimis temporibus discedent quidã a fide , attendentes spiritibus erroris , & doctrinis dæmoniorum , in hypocrisi loquentium mendacium , & cauteriatam habentium suam conscientiam , prohibentium nubere , abstinere a cibis , quos Deus creauit ad percipiendum . Quo modo igitur uirgo sit , quæ discessit a fide ? quæ plenos audiuit ? quæ dæmonibus obtemperauit ? quæ mendacium coluit ? quo pacto illa uirgo , quæ tantas conscientia labes habet in anima ? uirginis enim non solum corpus castum , sed puram , atque integram animam esse oportet ; siquidem curat sponsum illum sanctitatem insignem

VI.  
Virginitatem  
hæreticorum  
adulterio etiã  
fœdiorē esse.

1. Timoth. 4.

insignem excipere. quod si ipsa iis maculis notatissima fuerit, quonam modo pura esse poterit? si enim eam terrenas etiam curas ab eiusmodi cubiculo abiicere oportet, utpote quæ sponsi dignitati cum illis congruere nequeat; quo modo, cogitationibus impiis eius animo obuersantibus, uirginitatis decus conseruare poterit? nam etsi corpus ipsius incorruptum est, animæ tamen, quæ pars est potior, sunt corrupta consilia. quænam igitur ista commoditas disiecto templo, quæ templum cingunt, porticus, & septa permanere? aut quid est in eo emolumenti, cum purus sit solii locus, ipsum esse folium sordibus inquinatum? quanquam ne sic quidem a sordibus libera est. execrationes enim, & maledicta intus quidem formantur, neque tamen intus consistunt, sed ore prolata, & linguam, & aures, quæ ad ea patent, coinquinant, ac, ueluti uenena pestifera, in ipsam animam infusa, radices eius corrodunt, quauis tinea grauius; ut cum ipsis radicibus reliquum corpus intereat. Atqui, si corporis, & spiritus sanctitas definitio uirginitatis est; qui fieri potest, ut ea uirgo sit, quæ sceleribus, ac flagitiis utrunque contaminauit? At ista mihi & oris pallorem, & membrorum gracilitatem, & simplicem stolæ cultum, & aspectum humilem, ac uerecundum ostentat? sed quanti id refert, si elatus, & inuerecundus est oculus animæ? quid enim eius aspectu petulantius esse potest, quæ specie, & ostentatione adducit homines in eam sententiam, ut Dei opera habeant in numero malarum rerum? Omnis gloria filiæ Regis ab intus: at ipsa peruerso ordine extrinsecus gloria circumfluens, omnem intrinsecus habet infamiam. Illud uero graue est, quod maximam hominibus

minibus præferebat modestiam, in Deum uero creatorem suum summam adhibet insaniam; quodque adduci non potest, ut uirum aspiciat, (si modo ullæ in ipsis sic affectæ uirgines reperiuntur) in Dominum uero hominum impudentibus oculis intuetur, & iactat uoces in sublimi nefarias: exanguis buxi instar ipsis os est, mortuique simillimum: at propter eam causam multis lacrymis, maximisque miserationibus dignæ sunt, quod non modo frustra, sed ad perniciem, & quæ in eorum caput redundant, tantum ærumnarum susceperunt. Vilis quidem stola est; at non uestitu, neque eius colore, sed corpore, & anima uirginitas definitur. nam si neque philosophum coma, baculo, aut tunica, sed moribus, & anima metiri solemus; neque militem ex chlamyde, aut ex balteo, sed ex robore, & uirtute spectamus; nonne illud perabsurdum sit, uirginem, rem adeo mirabilem, ac de humanis rebus longe præstantissimam, squalore capilli, oris mærore, & pulla ueste definire, ipsiusque uim, ac uirtutem ita negligenter, temereque interpretari, neque eius animam quasi denudatam inspicere, atque habitum, & mores subtiliter inde pernoscere? At non id permittit is, qui luctationem istam lege constituit: neque enim uestibus eos, qui in hoc certamen descenderent, sed præceptis, & anima probare se iubet; inquit enim, *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, nempe ab iis, quibus animæ sanitas perturbatur: & Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* quænam ergo huiusce luctationis leges constitutæ sunt? audi iterum Paulum, uel potius in eo loquentem Christum, certaminis auctorem, ut uirgo sit sancta & corpore, & spiritu; atque idem

VIII.  
Virginem non uestitu, sed anima æstimari oportere.

1. Cor. 8.

2. Timoth. 2

1. Cor. 7.

B honorabile

VII.  
Hæreticos colenda uirginitate non animam modo, sed etiam corpus inquinare.

Psal. 44.



IX. Virgini detri-  
mentum affer-  
re elationem  
animi in eos,  
qui matrimo-  
nio iuncti sunt

honorabile connubium, & thorus immaculatus. Quid ad me hoc, illa inquit, quæ multam coniugio salutem dixi? istud enim misera, istud ipsum te perdidit, quæ, tanquam ad te nihil id decretum pertineret, rem propterea incredibili irrisione excipiens, cum in Dei sapientiam inuenta es, tum creatas res omnes accusasti. si enim coniugium impurum est; animantes omnes, quæcunque ex eo creatæ sunt, eadem impuritate continentur; ita uos etiam: non enim dixerim hominum naturam; quo modo igitur illa uirgo sit, quam impuram esse constat? Verum altera, uel tertia potius hæc est foeditatis, & impuritatis a uobis excogitata ratio, quæ connubium ueluti turpidinē quandam fugientes, ista ipsa fuga nuptiarum omnium impurissimæ factæ uirginitatem excogitastis adulterio foediorē. In quorum igitur numero uos reponemus? Iudæorum ne? at uos illi non recipient; quippe qui coniugium colunt, & diuinum opus admirantur. an nostrum? at Christum ex ore Pauli loquentem audire nolulistis; Honorabile cōnubium, & thorus immaculatus. Reliquum igitur est, ut gentibus annumeremus; sed ut scelestiores, & magis impios, quàm ipsæ sint, uos etiam illæ repellent. est enim apud Platonem, eum, qui cuncta fabricatus est, probum esse, probum autem nemini ulla in re inuidere. tu uero ipsum improbum appellas, & malarum rerum procreatorem. Verum ne extimescas: habes istius consortem sectæ diabolum, & angelos eius, uel potius ne eos quidem. neque enim propterea, quòd te illi in istum furorem induxerunt, eadem ipsos sentire existimes. scire enim eos Deū esse bonum, argumento tibi sit ipsorum uox exclamantiū tū hoc, Scimus quòd sanctus Dei sis, tum

Hebr. 12.

tum illud, Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant uobis uiam salutis. Etiamne igitur uirginitatem commemorabitis? etiam in ea gloriabimini? ac non potius uestram deslebitis, & lugebitis stultitiam, propter quam diabolus uos colligatos ueluti captiuos trahit in ignem æternum? At non es matrimonio coniuncta? at non eo omnino uirginitas definitur: quæ uero liberam habuit nubendi potestatem, & a nubendi consilio abfuit, hanc ego uirginem esse dixerim. cum autem te connubio lege prohiberi dicis, istud, quod a te recte factum est, non iam liberæ tuæ uoluntati, sed necessario legis iussu tribuendum est. Quapropter Persas eos admiramur, qui matres uxores non ducunt, Romanos non item. nam apud eos id omnibus omnino execrandum uidetur: apud uero Persas impunitas audendi talia causæ fuit, ut, qui ab huiusmodi coniunctionibus abstinerēt, laudibus afficerentur. et hac quidem ratione de nuptiis est inquirendum. nos enim, quòd omnibus licet matrimonio se coniungere, merito eos, qui non nubunt, admiramur: uos uero, qui nuptias in numerum flagitiosarum rerum retulistis, minime uobis eam uirginitatis laudem assumere potestis. nam, a uetitis abstinere, nequaquam est præstantis, & egregii animi argumentum. illud certe perfectæ uirtutis est, non ea cauere, quæ si commiserimus, ab omnibus mali iudicemur, sed in iis excellere, quæ non expetita improbitatem non coarguunt, culta uero, atque perfecta non solum homines liberant suspitione improbitatis, sed argumento sunt, eos inter bonos referri debere. ut enim eunuchis, quòd nō nupserint, uirginitatis laudē nemo tribuerit, sic neque uobis. quod enim

Mar. r.  
Act. 16.



illi naturæ necessitate, id uos anticipatione malæ mentis effecistis; & quam ipsis ea in re gloriam corporis debilitas abstulit, eam uobis integris diabolus, rectis ablati cogitationibus, eripuit: atque ita hac, quam necessario seruetis, non nubendi lege proposita, laboribus quidem assidue uos exercet, sed ad honores peruenire prohibet. Tu coniugium uetas? at tibi, tantum aberit, ut, propterea quod non nupseris, merces detur, ut etiam ob id ipsum cruciatus, & supplicia perferas. Tu, inquit, matrimonio non prohibes? minime. minime uero sit, ut usque adeo tecum insaniam. Quo modo igitur, ait, hortaris homines, uti matrimonio ne coniungantur? quod mihi ipse persuadeo, uirginitatem coniugio multo esse præstantiorem; neque tamen propterea connubium in malis pono; quin etiam ipsum magnis laudibus afficio. est enim continentiæ portus iis, qui præclare eo uti uoluerint. nam neque appetitum furere finit: quasi enim molem quandam illi legitimam opponens cõiunctionem, & libidinis fluctus sustinens, in magna nos tranquillitate collocat, & retinet. At sunt quidam, qui huiusmodi præsidii non indigeant, sed eius loco ieiuniis, uigiliis, corpore super solo sternendo, uita denique duriter agenda, naturæ furorem leniant. hos equidem cohortor, uti ne connubio iungantur: quo minus id faciant, non impedio. Magna uero est utriusque uerbi differentia, & plane tanta, quantum inter necessitatem interest, & liberam cuiusque uoluntatem. nam is, qui consilium alteri dat, ita dimittit auditorem, ut ei integra sint ea, de quibus consilium dedit: qui uero prohibet, is hanc aufert ab eo facultatem. accedit ad id, quod ego, uirginitatem suadens, non

damno

damno coniugium; neque eum, qui me non audierit, accuso: tu, cum & nuptias condemnes, malumque appelles, & legumlatoris, non consiliarii, personam arripas, qui tibi non obtemperant, merito eos odisti. ego uero non ita; uerum, cum illos admiror, qui ad hoc certamen nomina dederint, tamen, qui eò non descenderint, non accuso: accusatio enim ea iusta est, quæ contra illum adhibetur, qui id cõmiserit, quod omnes malum confitentur. nam qui leuiorem aliquam uirtutem adeptus est, neque aliam ea maiorem affecutus, ut eandem laudem, & admirationem non habeat, non tamen propterea est accusandus. Qui igitur prohibeo cõnubium, qui nubentes non reprehendo? supra ueto, & adulteria, coniugium minime ego quidem. qui uero illa audent, punio, & a sacris, atque a communione Ecclesiæ repello. qui autem nuptias colunt, dum id caste faciant, iis ego perpetuam laudem tribuo. quamobrem duplex lucrum fit, alterum, quod Dei operibus crimen non offertur, alterum, quod uirginitas sua dignitate non spoliatur, quin etiam multo illa ipsa præstantior ostenditur. Qui enim matrimonium uituperat, uirginitatis gloriam funditus tollit: qui uero id laudat, multo illam ipsam admirabiliorem reddit, ac præclariorem. quod enim præ eo, quod deterius est, bonum uidetur, non id admodum bonum fuerit: quod uero iis, quæ omnium sententia bona sunt, melius esse constat, illud præstantissimum bonum est, cuiusmodi docemus nos esse uirginitatem. Quare, quemadmodum qui nuptias in malis ponunt, suam uirginitati laudem detrahunt: sic qui coniugium a crimine uindicant, non magis ipsum coniugium, quam uirginalem laudant castitatem. etenim

X.  
Cohortari ad uirginitatem, non esse prohibere cõnubiũ.

XI.  
Qui coniugiũ improbat, eũ simul uiolare uirginitatem.

etenim in corporibus non ea, quæ mancis, ac debilibus, sed quæ fanis, & integris comparata excellunt, pulchriora dicimus. Bonum est connubium. est uero ob eam causam uirginitas admirabilis, quæ eo, quod bonum est, melior existit, tantoque melior, quanto remigibus gubernator, quanto est militibus dux præstantior. sed quemadmodum, e naui si remiges sustuleris, nauigium submerferis; si milites submoueris e prælio, ducem hostibus constrictum tradideris: ita, si matrimonium loco deieceris, uirginitatis prodideris gloriam, & in summorum ordinem malorum compuleris. Virginitas est bonum. id ego quoque fateor. Atqui nuptiis etiam melior. & istud tibi assentior, ac, si libet, illud adiungam, tanto nuptiis eam præstare, quantum cælum terræ, quanto hominibus angeli antecellunt; ac, si quid præterea audendum est, etiam magis, nam si neque nubunt angeli, neque uxorem ducunt; non etiã carne, & sanguine coagmentati sunt; in terris præterea non commorantur; non cupiditatum, aut libidinum perturbationibus sunt obnoxii; non cibi indigent, aut potus; non sunt eiusmodi, ut eos dulcis sonus, aut cantus mollire, aut præclara species possit allicere; nulla denique eius generis illecebra capiuntur: sed, quemadmodum cælum summo meridie, nullis perturbatum nubibus, purum, & lucidum apparet, sic angelorum natura, nullis commota perturbationibus, necessario clara permanet, & illustris. At humanum genus, cum natura beatis illis mentibus inferius sit, omni ui, studioq; contendit, ut, quoad eius fieri potest, illas asequatur: quo modo? non nubunt angeli, neque uxore ducunt: at neque etiam uirgo. assistentes illi semper ad Deum,

XII.  
Qui uirginitatem uere colant, ex hominibus angelos fieri.

Deum, eidem inferuiunt: & istud ipsum uirgo. quamobrem Paulus ab omnibus curis eas auocat, ut attente & assidue Deo seruire, neque ulla inde re distrahi possint. Quòd si uirgines, quàm diu corporis onere depriuntur, quemadmodum angeli in cælum nequeunt ascendere; illud eo uel maximo solatio compensant, quòd, modo spiritu, & corpore sanctæ sint, cæli Regem recipiunt. Vides ne uirginitatis præstantiã? quo modo terrarum incolas sic afficiat, ut eisdem illi, quibus cælites, muneribus perfungantur; & qui corpore uestiti sunt, eos incorporeis mentibus exæquet, & homines ipsos æmulos studii efficiat angelorum? Verum nihil ad uos ista, qui & tantam rem uiolastis, & Dominum accusastis, improbumq; appellastis. quamobrem ea uos, quæ seruo debentur improbo, manent supplicia: piis autem uirginibus multa, & maxima præstentur bona, & plane ea, quæ non modo supra sunt oculorum, & aurium sensum, sed omnem hominum mentem, & cogitationem superant. Quamobrem, illis omissis, (satis enim contra eos disputatum est) ad Ecclesiæ filios reliquum sermonem conuertemus. Vnde igitur præstat initiũ dicendi facere? nempe ab eo Domini sermone, quem is diuo Paulo habuit internuncio. huius enim admonitionem, Domini admonitionẽ esse, necessario credendũ est. etenim, cum inquit, Iis, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus; & illud, Reliquis autẽ ego dico, non Dominus; non eo dixit, quasi alia sua, alia Domini esset oratio: quo modo enim is, qui Christum in se loquentem haberet, qui uiuere non curaret, ut Christus in ipso uiueret, qui regnum, qui uitam, qui angelos, qui potestates, qui reliquas

XIII.

I. Cor. 7.

Ioan. 16.

reliquas res creatas, qui omnino omnia caritate in Christum inferiora duceret, quo modo, inquam, præsertim de his legem ferens, ea non dicam dicere, sed cogitare esset ausus, quæ ex Christi sententia non essent? Sed quo modo illa accipi debent, ego, & non ego? nempe hoc modo: leges nobis tulit, & decreta fecit partim per se Christus, partim per Apostolos. quòd autè ipse per se leges omnes nõ tulerit, audi eiusdem testimonium: Multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo. quocirca de uxore, quæ a uiro discedere non debeat, anticipans illud ipse Christus, legem nobis imposuit tum, cum homo uersabatur in terris; propterea inquit, Iis, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus: de infidelibus uero nobis ipse nihil dixit, sed ad id Pauli incitans animum, eius ore legem tulit, ac propterea inquit, Si quis uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; & si qua mulier habet uirum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat uirum. ob id igitur dixit, Non Dominus, sed ego; non eo uolens ostendere, humanum illud esse dictum; qui enim fieri potest? uerum id præceptum, cum hic esset, Christum discipulis non tradidisse, sed nunc se internuncio tradere. ut igitur illud, Dominus, non ego, haud illius est, qui Christi iussu aduersetur: ita hoc, Ego, non Dominus, non ab eo dicitur, qui præter Dei sententiam suum ipse, ac proprium aliquid afferat, sed ab eo, qui tantum hoc ostendat, per se nobis id nunc præceptum traditum esse. etenim de uidua cum loquitur ipse, Beatior, inquit, est, si sic permanerit secundum meum consilium: deinde ne, cum illud audieris, Secundum meum

1. Cor. 7.

meum cõsiliu, id ab homine excogitatum arbitraris, suspicionem consequenti oratione sustulit in hunc modum: Puto autem, quòd & ego spiritum Dei habeam. Quemadmodum igitur, cum ea, quæ Spiritus sancti essent, loquebatur, suum dixit esse consilium; neque eam propterea nos hominis sententiam dicemus. sic neque hic etiam cum dicit, Ego dico, non Dominus, ob id Pauli sermonem existimabis. Christum enim in se loquentem habebat. neque uero unquam fuisset ausus de tanto hoc decreto ferre sententiam, nisi inde legem nobis tulisset. sic enim cum Paulo quispiam ageret. Ego fidelis homo cum infideli, cum impura purus consuetudinem habere non possum: tu paulo ante dixeras, dicere te ista, non Dominum: unde igitur id mihi tutum, certum ue fuerit? At diceret, Ne uerearis: id enim dixi, quòd Christum in me loquentem habeo, & quòd puto spiritum Dei habere, ne eum sermonem ulla ex parte humanum esse suspicere. nisi enim ita esset, nunquam cogitatis meis tantum auctoritatis tribuiffem: cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentia nostræ. Præterea, quanta sit legis uis ubique terrarum, ostendit Ecclesia, legem ipsam diligenter seruans, alioqui non seruatura, nisi persuasum haberet, ex Christi iussu illum omnino esse sermonem. Quid igitur ait Paulus, Domini instinctu concitatus? De quibus scripsistis mihi, bonum est homini mulierẽ non tangere. Hoc loco amauerit aliquis de eo Corinthios, quòd, cum nullum antea a magistro suo de uirginitate consilium habuiffent, occupantes ipsi ab eodẽ illud requirant. eo nimium ostendentes, quanta sibi iam diuinæ gratiæ accessio facta esset. nam ueteri testa-

Sap. 9.

C mento

XIIII.  
Cur ad Paulū  
Corinthii de  
uirginitate scri-  
pserint, nō au-  
tem prior eos  
ipse admonue-  
rit.

mento res perspicua non erat. neque enim solum reliqua tum multitudo, sed & leuitæ, & sacerdotes, atque adeo magnus ille Pontifex magni nuptias æstimabat. Sed quamobrem eò progressi sunt, ut id a Paulo quærerent? acute illi rem, & præclare uiderunt: quippe cum ipsis, maiori munere affectis, maioris etiam uirtutis opus esset. Verum illud etiam considerandum est, quamobrem Paulus nullum unquam ipsis de eiusmodi consilio sermonem intulerit. non enim, si quid horum illi accepissent, iterum ad eum scribentes de eisdem rebus rursus eius sententiam requisuissent. atque hinc etiam admirabilem Pauli sapientiam licet animaduertere. non enim temere, aut sine causa tanta de re admonitionem prætermisit, sed expectauit, dum id prius cuperent Corinthii, & aliquam eius rei susciperent cogitationem, ut, cum eorum animos, qui ad uirginitatem præparati essent, excolendos suscepisset, fructuosos hinc de rebus in illis sermones fereret. sic enim illis per se erga uirginitatem affectis, factum est, ut postea se maxime dociles ad Pauli consilium præberent. adde, quòd huius rei magnitudinem, & grauiissimum pondus ostendit. non enim, nisi ita se res haberet, illorum ea in re alacritatem expectasset, sed anteuertens ipse rem introduxisset, ac si non ut iussum, aut præceptum, certe ut admonitionem, atque consilium: sed cum ne sibi id quidem sumpsisset, ut prior faceret, liquido nobis ostendit, quàm multi sudoris, quantæq; contentionis uirginitas indigeat. quo etiam communem Dominum imitatus est. nam & ille tum, cum discipuli eum interrogarunt, de uirginitate differuit. cum enim dixissent, Si ita est causa hominis cum uxore, expedit non nubere;

Matth. 19.

re; tunc ait, Sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum. cum enim id, quod recte fit, magnum, & difficile est, neque ob eam causam iusso concluditur necessario; tunc expectandum est, dum iis, qui id ipsum assequi uolunt, rei cupiditas innascatur, alio quodam modo, ac sine ulla suspitione comparatis illis ad eiusdem rei studium, & uoluntatem. Sic itaque Christus fecit. non enim eos ulla disputatione de uirginitate in cupiditatem uirginitatis adduxit, sed tantum in sermone de nuptiis, rei grauitate demonstrata: atque in iis terminata oratione, rem tractauit adeo sapienter, ut, qui de uirginitate nihil audiissent, sua sponte dicerent, Expedit nō nubere. ob id Paulus etiam ille Christi imitator inquit, De quibus scripsistis mihi. quòd perinde est, quasi de iis ita respondisset; Equidem propter summam rei difficultatem nunquam per me uos essem ausus in tam excelsum locum compellere; uerum cum id anteuertentes ipsi de eo ad me scripseritis, propterea, quid mei consilii sit, fidenter uobis exponam: Bonum est homini mulierem non tangere. Verum quid est causæ, quòd, cum multis de rebus ad Corinthios scripsisset Paulus, nusquam huius ipse fecerit mentionem? nihil, nisi id, quod iam dictum est: ne quis enim litterarum admonitionem moleste ferret, in memoriam eorū redigit, quæ ipsi scripserant. ac ne ita quidem occasionem nactus maximam, uehementiorem adhibet admonitionem, sed remissius cum illis agit, in eo etiam Christum imitatus: Saluator enim in extremo illo sermone, quem de uirginitate habuit, illud adiecit, Qui potest capere, capiat. at quid ait Paulus? De quibus scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere.

C ii Sed

XV.  
Oppositio eorum, qui uirginitatem eiciunt, & solutio.

Sed dixerit fortasse quispiam, si præstat mulierem non tangere, quid sunt introductæ nuptiæ? aut, si non ad coniugium, & ad liberorum procreationem mulieres adhibemus, quid est præterea, in quo illæ nobis usui esse possint? morte enim quotidie consumente, atque cadente humanum genus, neque hoc permittente sermone, ut, aliis cadentibus, alii exoriantur, quid prohibet, quo minus uniuersi homines intereant? si enim bonum id sequeremur omnes, neque mulierem attingeremus, perirent omnia, & urbes, & familiæ, & agri, & artes, & animantes, & cuncta, quæ ex terra oriuntur. quare quemadmodum, ubi cecidit Imperator, omnes ordines in acie dissipari necesse est: sic homine, qui omnium in terris est Imperator, quia nuptias non colat, sublato, nihil præterea reliquum est, quod salutem suam, ordinemq; tueatur: atque hoc ipsum præclarum consilium complebit orbem terrarum malis innumerabilibus. Equidem, si hostium, & infidelium tantummodo hæc esset oratio, parui eam æstimassem; cum uero multi ex iis etiam, qui in Ecclesiæ numero uidentur esse, eadem ista dicant, atque imbecillitate consilii a uirginitate deficientes, eam, quod multi sudoris sit, improbent, & inanem esse ostendant, eo uidelicet consilio, ut suam tegant pigritiam, neque negligentia, sed recto iudicio certamen illud contempserit uideantur: age iam, omissis hostibus, (nam animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi) eos, qui nobiscum facere simulant, utrumque doceamus, & uirginitatem non modo non superuacaneam, sed ualde esse fructuosam, maximeq; necessariam, & ipsos, quod uirginitati crimen offerunt, non impune

impune laturos, sed tantum eiusce rei poenarum subituros, quantum iis, qui uirginitatem coluerint, & mercedis, & laudis tribuetur. ut enim uniuersus hic mundus factus est, & parata nobis omnia, quæ ad quietem nostram, usumq; pertinerent; Deus hominem finxit, cuius etiam causa mundum fabricatus erat. is igitur in paradiso remansit, neque ulla nuptiarum mentio facta est: opus ei fuit adiutrice: adhibita est. ne tum quidem coniugium uisum est necessarium; immo uero ne apparebat quidem: quinetiam illi connubii expertes in paradiso, tanquam in cælo, uitam degebant, & iucundissima Dei consuetudine fruebantur. nam & coniunctionis appetitio, & conceptio, & partuum dolores, & partus ipsi, interitus denique omne genus longe aberat ab illorum animis; & quemadmodum amnis liquidus e puro fonte profuens, sic ipsi ibi uitam agebant uirginali castitate decorati: & tum erat in omnibus terris ab hominibus solitudo: quod nunc uerentur isti, qui de orbe terrarum laborant: ea enim est horum hominum ratio, aliena uti sedulo curent, suarum uero rerum ne minimam quidem cogitationem suscipiant; & cum de eo solliciti sint, ne commune hominum genus aliquando deficiat, omnem animæ suæ, tanquam alienæ, curam unusquisque negligit, præsertim cum eius causa summa uel minimarum rerum, paucitatis uero hominum ne minima quidem ratio ab ipsis reposcenda sit. non erant tum oppida, non artes, non familiæ, (neque enim leuiter uos ista curatis) sed tum ista non erant, neque tamen beatam illam uitam, & hac nostra longe meliorem quidquã aut impediabat, aut incidebat. at simul atque Deo non obtemperauerunt, ac terra, cinisq; facti sunt, simul

Cor.I.

simul cum beata illa uiuendi ratione uirginitatis decus amiserunt, & una cum Deo semigravit ab eis castitas uirginalis. nam quàm diu a diaboli seruitute liberi fuerunt, ac Dominũ suum sunt ueriti, fuit penes eos uirginitas, quæ maioris ipsis erat ornamento, quàm sit diadema Regibus, aut aurea uestimenta. postea uero quàm captiui fuerunt, & regiam ipsam exuerunt stolam, cælestique ornatu abiecto, morti, dissolutioni, execrationi qu; propositi, miseram, & laboriosam uitam instituerunt; tunc una cum illis successit connubium, mortale hoc, & seruile uestimentum; Qui, inquit, cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi. Vides ne unde initium habuerint nuptiæ? unde necessario profectæ uideantur? a diuini præcepti contemptione, ab execrationibus, a morte: si quidem ubi mors est, ibi nuptiæ commorantur: quæ si non esset, neque nuptiæ sequerentur. At hæc uirginitatem non consequuntur; sed illi semper utilitas, felicitas, beatitudo qu; comitantur, tam non dum morte, aut nuptiis introductis, quàm post earum introductionem. Cedo, quod connubium Adam procreauit? qui dolores Euã pepererunt? neque enim habes quod respondeas: quid igitur sine causa cõ tremiscis metu perterritus, ne sublatis nuptiis consistat ortus humani generis? Innumerabiles angeli Deo inseruiunt, infinita uis archangelorum ad ipsum assistit; neque quisquam eorum est ex naturæ successione, ex partu, ex doloribus, ex conceptione procreatus. multo igitur magis homines sine coniugio fingere potuit, quemadmodum primos finxit, unde genus hominum uniuersum exortum est. Neque uero nunc etiam genus nostrum auget connubii uis, sed Domini oratio ea, quam

XVI.  
Coniugiũ non  
augere genus  
humanum.

quam habuit initio, Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Quid enim, quæso, Abraham ad liberos gignendos nuptiæ profuerunt? an non is, cum tot annos uxorem haberet in matrimonio, tandem eiusmodi uocem emisit? Domine Deus quid dabis mihi? ego Gen. 15. uadam absque liberis. Vt igitur tum ex mortuis corporibus Deus prolem, & stirpem excitauit ad innumerabilem hominum procreationem: sic idem a primo, si dicto audiens Adam illam omisisset ligni uoluptatem, uiam reperire potuit, qua humanum genus auget. neque enim unquam contra Dei uoluntatem exercendis nuptiis maior erit hominum numerus; neque colenda uirginitate, Deoque id approbante, eorundem multitudo minuetur. Verum, inquit, id uoluit nostra culpa, quòd ei non obtemperauimus. quid est enim, quòd ante, quàm in fraudem induceremur, nullum extitit connubium? quamobré nulla fuit in paradiso corporis coniunctio? cur ante nostri execrationem nulli partuũ dolores? quòd erant tum illa superuacanea, quæ deinde fuerunt propter hominum infirmitatem necessaria; neque solum hæc ipsa, sed alia omnia, oppida, artificia, uestium cultus, & ornatus, & omnino reliqua necessariorum rerum turba: his enim contractis omnibus, mors in orbem terrarum irruit, hoc instructa comitatu. Quamobrem non est, ut quod infirmitati tuæ remissum est, id non modo uirginitati præferendũ, sed ne cum ea quidem conferendum putes. nam si ista ratione, & uia processeris; duas etiam habere in matrimonio, quòd id lege Moisis permissum fuit, quàm una uxore contentum esse, melius affirmabis; isto etiã modo diuitias paupertati uoluntariæ, luxuriam frugalitati præpo-

XVI I.  
Coniugii esse  
indulgentiæ.

præposueris; atque adeo iniuriam ulcisci, quàm fortiter ferre, præstare dixeris. Tu igitur, inquit, ista improbas? ego uero non improbo; nam & a Deo concessa sunt, & fuerunt tempore fructuosa; at leuia esse dico, neque tam uirorum recte facta, quàm puerorum appello. Quare cum perfectos nos Christus uellet efficere, iussit illa tanquam pueriles uestes deponere, quæ neque uirum perfectum tegere possent, neque ornare mensuram ætatis plenitudinis Christi; his uero ornatoribus, & pretiosioribus, quàm illæ essent, uestiri uoluit, non ea re sibi ipse contrarius, sed maxime consentaneus: nam etsi hæc sunt illis iussa grauiora, tamen idem fuit legislatoris propositum. sed quodnam id est? ut, animarum nostrarum omni prauitate circumcisa, nos ad perfectam uirtutem deduceret. si enim id rationis habuisset, ut nullum nobis priore grauius onus imponeret, sed idem permetteret, ut eandem illam perpetuo legem seruaremus, neque unquam nos ab illa humilitate subleuasset, hoc nimirum ostendisset, quantum a se ipse dissentiret. Quemadmodum enim initio si tum, cum adhuc esset imbecillius, & puerili quadam infirmitate humanum genus, arduam hanc proposuisset uiuendi rationem, nunquam moderatam postea recepissimus; sed quæ ad salutem nostram pertinerent, immoderata hac ipsa regula nobis omnia periissent: ita, nisi post longinquum illud tempus, & eam disciplinam, quæ lege tradebatur, cū ad cælestem hanc philosophiam dies nos hortaretur, in terris permanere uoluisset, parum admodum nobis illa profecisset indulgentia, quòd ea perfectionis uis non accesserat, propter quam indulgentia tributa est. Verum assimile quidpiam nobis, & pullis auium

auium accidit. nam ubi eos aluit mater, educit quidem e nido; sed si propter imbecillitatem decidere uiderit, & illis opus esse intus amplius educari cognouerit, aliquot dies ibidem esse finit, nō iam perpetuo uti commorentur in nido, sed dum, præclare corroboratis alis, & omni confirmato robore, securi deinceps uolatum suscipere queant. sic etiam nos Dominus noster a primo trahebat ad cælum, & uiam monstrabat, quæ illuc duceret, non sane ignorans, sed qui uel optime intelligeret, non satis fore nos ad illum uolatum conficiendum. uoluit autem nobis ostendere, non sua uoluntate eum fieri casum, sed imbecillitate nostra. quod simulatque demonstrauit, postea permisit, ut terrenis his rebus, cultuque nuptiarum, tanquam in aliquo nido diutius aleremur. ut uero nobis uirtutis pennæ longo temporis interuallo nasci cœperunt, tunc sensim accedens, e terreno domicilio euctos, altius docuit euolare. ergo languidiores alii, arctissimeque etiã dormientes, & in humanis rebus defixi, nidi adhuc mansione delectantur; alii generosiores, & amantes lucis, hunc locum facillime deferunt, ac, relictis in terris nuptiis, pecuniis, curis, aliisque rebus omnibus, quæcunque mortales ad terram reuocare consueuerunt, superas partes petunt, ad cælumque perueniunt. Quamobrem nō est, ut initio concessum coniugium deinceps eiusmodi esse existimemus, quasi necessario ab eo discedere prohibeamur. nam ipsum uelle, ut nuptiis abstineamus, ex eius oratione cognosce, Qui potest capere capiat. quòd id autem non statuerit initio, ne mireris. neque enim medicus omnia simul ægrotis, aut eodem tempore proponit adhibenda; sed dum febris æstu cor-

D repti

repti iactantur, cibum prohibet duriores; cum uero & ardorem illum, &, quæ ab eo profecta sit, corporis infirmitatem depulerunt, tum omnem escam, quæ minus placeat, remouet, & permittit uictum, quo antea affueuerunt. ut enim in corporibus inter se pugnantia principia, quòd in illis superet, uel deficiat aliquid, aduersam ualitudinem creant: sic in anima immoderatae perturbationes ipsius corrumpunt sanitatem. maxime autem oportunitate opus est, ut ad præsentis animorum commotiones diuinum iussum apte accommodari possit. etenim animæ peruersitatem, nisi utraque hæc inter se conueniant, nunquam per se lex emendare queat; quemadmodum neque etiã per se medicamentorum uis ulcus unquã sanare possit. idem enim peccatis leges sunt, & remedia uulneribus. An tu, cum medicum sapius idem ulcus modo secantem, modo urentem, modo neutrum horum in illo ipso facientem, præsertim uero a fine sæpenumero aberrantem uideas, de eodem curiose nihil inquiris: in Deo autem, qui nusquam offendit, sed omnia pro sua sapientia recte, atque ordine disponit, sis mortalis ipse curiosus? ab eo institutorum eius rationem reposcas? neque id infinitæ tribuas sapientiæ? an nõ hæc summa amentia est? Crescite, inquit, & multiplicamini. istud enim furente natura, cū neque ea libidinis impetum ferre posset, neque in illa tempestate portum alium haberet, quò confugeret, tempora postulabant. quid igitur imperandum fuit? an ut continenter, casteque uiuerent? at istud, & grauiorem casum effecisset, & maiorẽ ignem accendisset: etenim si quis pueros, qui solo lacte sunt alendi, remouerit ab eo cibo, & esca uesci, quæ corroboratis iam uiris sit accommo-

accommodata, coegerit, nihil prohibebit, quo minus statim moriantur. tantum mali inest rebus intempestiuis. propterea nõ est initio uirginitas instituta; immo uero principio uirginitas tradita est, & illa, quàm matrimonio, prius apparuit; iccirco successit matrimonium secundo loco, uisumque est necessariũ. Quòd si Adam obedientiam nõ abiecisset, haud illo nobis opus fuisset. At quo modo, dixerit quispiã, tot extitissent hominum millia? Ego uero, quando isto timore tantopere commoueris, iterum abs te quæro, quo modo Adam, & Eua, non dum interpositis nuptiis, procreati fuerint? Quid igitur? ut illi nati sunt, inquit, sic reliqui omnes nasci debebant? Siue isto modo, siue alio quopiam, nihil habeo dicere. quod enim nunc in quæstione uersatur, eiusmodi est, Deo, ad augendum hominum genus in terris, nihil opus fuisse coniugio. Neque uero genus humanum uirginitate, sed peccato, obscænisque coniunctionibus Noe ætate defecisse docuit, & hominum, & beluarum, & omnino in terris omnis animalium generis interitus. si enim obscænam illam cupiditatem continuissent filii Dei, & uirginitati honorem habuissent, neque filias hominum iniquis oculis aspexissent: nunquam eos tanta calamitas oppressisset. at nemo propterea me causam illorum cladis in nuptias conferre arbitretur. non enim id nunc ego dico, sed pestem, & interitum nostri generis non uirginitati tribui, sed peccato assignari oportere. Est uero institutum liberorum procreandi causa connubium; sed multo magis, ut in natura insitum restinguat ardorem: quod sane Paulus ita testatur: Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, nõ propter liberorum procreationem.

XVIII.  
Non uirginitate, sed peccato imminui genus humanum

XIX.  
Duas quidem olim fuisse connubii causas, uerum nunc unam tantum reliquam esse.



& iterum eodem iubet conuenire, non ut multos liberos suscipiant: sed cur? Ne tentet, inquit, nos Sathanas. atque in eo ipse progrediens non cupiditate prolis: sed quamobrem? Si se, inquit, non continent, nubant. Duæ autem hæ fuerunt, quemadmodum initio dixi, coniugii instituendi causæ; sed deinde & terra, & mari, & uniuerso terrarum orbe animantium referto, una relicta est coniungendi causa nuptiarum; ut libido, & incontinentia sedaretur. iis enim, qui nunc etiam in eiusmodi libidinibus uoluntantur, suumq; more uiuere, & in lustris confici concupiscunt, non parum afferunt adiumenti nuptiæ ad illam impuritatem, & necessitatem tollendam, & ad pure, sancteq; uiuendum. Sed quousque uobiscum ego hac umbratili pugna dimicabo? etenim uos ista differentes nihilo minus, quàm nos, uirginitatis præstantiã intelligitis. et, quæ à uobis dicuntur, omnia speciem simulationis habent, uestræque sunt intemperantiæ tegumenta. Verum ut hæc impune dicere liceat, tamen uel ita a calumniis desistere oportuit. qui enim sic est animatus, ut præclaris rebus aduersetur, præter alia, quæ facit, detrimenta, graue etiam adeo peruersa, & iniqua sententia apud omnes testimonium de sua dicit improbitate, ut, etiam si nulla alia de causa, tamen, ne tantum in se contraheret inuidiæ, linguam continere deberet; idque cum eum, qui in maximis certaminibus ceteris præstantes admiratur, licet ipsorum assequi præmia non possit, tamen ab omnibus ueniã consequi animaduertat. qui uero in illis ipsis non modo se non exercet, sed ea uituperat, quæ præmiis amplissimis afficienda sunt, is, ut inimicus, & hostis uirtutis, quiq; infanis hominibus

miserior

miserior sit, iure omnibus in odio esse debet. infani enim nec, quæ committunt, intelligunt, nec, quæ ferunt, uoluntarii patiuntur. quamobrem cum eos iniuria afficiunt, qui rerum potiuntur, tantum abest, ut pœnas pendant, ut ab illis etiam ipsis, quos iniuria lacefferunt, eis misericordia tribuatur. quòd si quis mentis compos, quæ illi non sua sponte faciunt, eadem committere audeat, is, ut communis naturæ hostis, iure sententiis omnibus condemnetur. Quamobrem etiã si, quemadmodum dixi, eiusmodi criminatio impune esset; tamen eorum causa, quæ dicta sunt, ea oportuit abstinere. nunc uero uel magnum periculum calumniæ proponitur. Neque enim solum qui sedens aduersus fratrem suum loquitur, & aduersus filium matris suæ ponit scandalum, pœnam sustinebit, sed is etiam, qui ea, quæ Deo præclara uisa sunt, improbare conatur. uerum accipe, quæ ab alio Propheta de hac ipsa re differantur. Væ tibi, qui dicis malum bonum, & bonum malum; qui ponis lucem tenebras, & tenebras lucem; qui ponis dulce amarum, & amarum dulce. quid enim uirginitate suauius? quid pulchrius? quid illustrius? etenim ipsis Solis radiis fulgores splendidiore emittit; nos uero ab omnibus terrenis rebus auocans, sic afficit, ut Solem iustitiæ puris, & intentis oculis intueamur. & hæc quidem Esaias in eos uociferabatur, quorum essent corrupta iudicia. Audi uero præterea, quid alius Propheta, ab hac ipsa uoce faciens initium, de iis dicat, qui in alios eiusmodi uerborum pestes effundunt. Væ illi, qui potum dat amico suo turbidum: atque hoc ipsum, Væ, haudquaquam simplex uerbū est, sed eo maximæ minæ continentur.

nam

XXI.

Eos magnum adire periculum, qui uirginitatem despiciunt.

Psal. 49.

Esa. 5.

Abba. 2.

XX.  
Vt nullum iis, qui uirginitatem despiciunt periculum propositum sit, graue tamē esse eam despiciere.

nā eam nobis pœnam protendit, quæ neque uerbis explicari possit, neque unquā remittenda sit. etenim hæc ipsa uox in diuinis litteris posita est contra eos, qui futuram pœnā iam euitare non poterunt. et iterum alius Propheta Iudæos accusans inquit: Et propinabatis Nazareis uinum. quòd si is, qui Nazareis uinum miscet, tantum subibit pœnarum: quo supplicio dignus erit, qui in animas simplicium hominum turbidam infundit potionem? si, qui minimam eorum partem sustulerit, quæ lex iubet fieri, pœnæ se subiicit, quam uitare non potest: quibus cruciatibus afficietur, qui uniuersæ huic obrectat sanctitati? Quisquis scandalizauerit, inquit, unū ex his pusillis; expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & in mare demergatur. Quid igitur dicent, qui eiusmodi oratione non apud puerulum quempiam, sed apud multos offendunt? quòd si quis dixerit fratri, Fatue, reus erit geennæ ignis: quantum in se contrahet iram, qui hanc improbat æqualem instituto angelorum uiuendi rationem? derisit olim Moisen Maria, multo quidem leuius, & moderatius, quàm ipsi nunc uirginitatem derideatis; quippe quæ neque de homine detraxit, neque tum uirtutem beati illius uiri irrisione excepit, quem etiam uehementer est admirata: tantum dixit, iisdem se frui, quibus ille fruebatur: & tamen Dei iram in se tantopere concitauit, ut ne ipso quidem, qui laceffitus iniuria uidebatur, pro ea magnopere deprecante, quicquam profectum sit, sed diuturniorem illius etiam opinione pœnam pertulerit. Sed quid dico Mariam? cum ad Bethleem pueri ludentes, quòd tantum Eliseo dixerant, Ascende calue, usque adeo Deum irritauerint, ut is in ipso sermone in eam

Amos 2.

Matth. 2.  
Marc. 9.  
Luc. 17.

Matth. 5.

XXII.  
Propter Eliseum pueros uiciliter interiisse

eam multitudinem (erant enim duo, & quadraginta), ursos immitteret, a quibus omnes discerpti sunt. ita neque ætas, neque multitudo, neque omnino illud, quod ioco dixissent, pueros tueri potuit; & iure id quidem optimo. nam si, qui tantos sustinent labores, & pueris, & uiris ludibrio sunt: quis ex numero infirmorum eos ipsos labores subire uolet, qui ludo, & irrisione hominum excipiantur? aut quis de populo uirtutem colet, quam ita ridiculam esse uideat? Quòd si nunc omnibus, qui ubique sunt, uirtutem admirantibus, neque iis modo, qui ipsam expetiuerunt, sed illis etiam, qui in eam inciderunt, grauate tamen multi mortales, ac tergiuersantes, uix eius causa labores suscipiunt: quis erit, qui, si eam non modo in admiratione non esse, sed uituperari præterea uideat ab omnibus, ad eandem amplectendam facile possit adduci? nam qui fortitudine excellunt, & iam ad cælum peruennerunt, non multorum solatio indigent, sed ad omnem alacritatem satis illis est ea laus, quam a Deo consequuntur: imbecillioribus uero, & iis, qui nuper in eam uiam deducti sunt, non parum accedit uirium, cum, quid de se multitudo existimet, intelligunt, donec rebus omnibus paulatim instructi eò perueniunt, ut eiusmodi ducis opera non amplius egeant. nec uero tantum id illorum causa factum est, sed irrisorum etiam salutis gratia, ne, cum priorum erratorum nullam pœnam persoluerint, in ea priuate progrediantur. Verum mihi ista commemoranti in mentem ueniunt, quæ præterea in Eliam commissa sunt. quod enim pueri propter Eliseum ab ursis passi sunt supplicium, idem propter eius magistrum centum uiri cum suis ducibus, igni e superiore loco

4. Regum 2.

loco defluente, pertulerunt. nam quòd & illi ad Eliam accedentes, ac per summam dissimulationem uirum iustum appellantes, ad se iusserunt descendere, eius loco descendens ignis omnes absumpsit, non secus atque illos antea feræ deuorant. Quibus animaduersis, omnes uos uirginitatis hostes aliquando ianuam ori, & feram adhibite, ne supremo illo iudicii die eos intuentes, qui uirginitatis splendore fulgebunt, ipsi etiam illud incipiatis dicere, Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improprii: nos insensati uitã illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: quo modo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est? ergo a uia ueritatis aberrauimus, & iustitiæ lumen non luxit nobis. sed quis erit eorum uerborum fructus? cum eneruata tum pænitentia futura sit. Sed fortasse quæret aliquis uestrum, fuerit ne quisquam, qui postea sanctis hominibus male dixerit? multi, & ubique terrarum fuerunt. quid est igitur, inquit, quòd eandem non dederunt pœnam? dederunt illi quidem, & eiusmodi multos ipsi nouimus: si uero sunt, qui etiam pœnam effugerint, eam illi ad extremum, ut est apud diuum Paulum, non effugient: Quorundam enim, inquit, peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quosdam autem & sequuntur: & ut legumlatores nocentium pœnas in actis scriptas relinquunt, sic etiam Dominus noster Iesus Christus in unum, aut alterum facinorosum hominem animaduertens, tanquam in columna ænea, aut in tabulis descripta, quæ de illis sumpsit supplicia, deponit, ut, quæ illis acciderunt, palam expositis planum faciat omnibus, fore, ut, etiam si qui eadem com-

mitten-

mittentes, easdem uiui pœnas, quas illi ipsi dederunt, non dederint, mortui tamen grauiora mala patiantur. Quamobrem cum multa peccantes, nullas scelerum pœnas pendimus, ne confidamus, sed timeamus potius, quamuis enim hic a Deo non iudicamur, tamen una cum mundo apud inferos condemnabimur. cuius rursus equidem non sum auctor sententiæ, sed is eam pronuntiauit, qui in Paulo loquitur, Christus: sic enim inquit, cum ad eos loquitur, qui mysteriorum immerito participes fieri uolunt: Ideo inter uos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. quòd si nosmet ipsos diiudicarem, non utique iudicarem: dum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. quidam enim, quòd eorum sunt mediocria delicta, & quòd supplicio affecti, nunquam postea in eadem uitia delabentes, canem ad uomitionem redeuntem imitantur, in uita modo castigationis indigent. Sunt alii, qui propter summam improbitatem & uiui, & mortui peccatorum pœnas persoluent. alii uero tantummodo apud inferos suppliciis afficientur. quòd enim indignissima omnium facinora commiserunt, indigni sunt, qui cum hominibus torqueantur. Neque enim, inquit, cum hominibus flagellabuntur; ut qui in id tempus reseruati sint, quo cum dæmonibus supplicia expendant. Discedite enim, ait, a me in ignem æternum, paratum diabolo, & angelis eius. Multi sacerdotium pecunia rapuerunt: qui quanquam, unde obiurgarentur, habuerunt neminem, neque ea audierunt, quæ Simo olim magus accepit a Petro; non eo tamen illud impune ferent, sed quòd, ne exemplo quidem proposito, non resipuerunt, multo grauiores

E cruciatus

XXIII.  
Qui peccant, neque peccatorum pœnas pendunt, non eo confidere, sed magis timere debere.

I. Cor. 2.

Psal. 72.

Matth. 25.

Act. 7.

Sap. 5.

XXIII.  
Quid sit, quamobrem qui eadem peccent, non easdem pœnas.

I. Timo. 5.

Num. 16.

Gen. 12.

Ios. 7.  
Num. 3.

cruciatuſ ſuſtinebunt, quàm qui uiuis ipſis debeban-  
tur. multi autem, quæ Core, ſunt auſi, neque tamen  
eandem, quam ille, poenã dederunt, ſed dabunt poſtea  
cruciatibus affecti grauioribus. Non pauci, Pharaonis  
impietatẽ imitati, nõ iam, ut ille, mari ſubmerſi ſunt,  
ſed geennæ pelagus ipſos manet. neque enim in eos,  
qui fratres ſtultos appellant, iam animaduerſum eſt:  
nã ipſis ad inferos ſunt reſeruata ſupplicia. Quamobrẽ  
non eſt, ut Dei ſententias uerba tantũ eſſe exiſtimetis.  
ob id enim ipſe non nullas, id quod de Saphira, Char-  
mi, Aaron, multisque aliis conſtat, exitu comproba-  
uit, ut, qui uerbis eius fidem non habent, rerum testi-  
moniis perterriti, & deſinant aliquando uerſari in hoc  
errore, ſe nihil poenarum daturus, & diſcant eò ſpecta-  
re Dei benignitatẽ, ut præſiniat ſontibus tempus agen-  
dæ pænitentiaẽ, non in eo poſitam eſſe, ut omnino det  
peccatorum impunitatem illis, qui in uitiiſ perfeue-  
rant. Poſſem equidem plura de eo dicere, quantum in  
ſe contrahant incendium, qui uirginitatis decus exte-  
nuant: ſed & prudentibus ſatis ſunt, quæ diximus, ne-  
que poſſent deprauatos, & furioſos multo his plura ab  
illa infania remouere. quamobrem eam partem omit-  
tentes, ad eos, qui rei ſunt intelligentes, omnem ora-  
tionem conuertemus: & ad illud diui Pauli redibimus,  
De quibus ſcripſiſtis mihi, bonũ eſt homini mulierem  
non tangere. Illos igitur pudeat, & qui coniugium im-  
probant, & qui plus ei tribuunt, quàm rei dignitas po-  
ſtulat. utroſque enim diuus Paulus cum his, quæ dicta  
ſunt, reddit elingues, tum iis, quæ deinceps dicentur.  
Bonum eſt coniugium, quippe quòd hominem retinet  
in officio temperantiaẽ, neque delapſum in adulterium  
patitur

XXV.  
Imbecillis ne-  
ceſſarium eſt  
coniugium.

patitur interire. quare ne ipſum uituperes. magnas  
enim habet utilitates: nam Chriſti membra meretricis  
membra eſſe non ſinit: neque ſacrum, & purum tem-  
plum prophanum, aut impurum fieri patitur; propter  
ea bonum eſt, quòd labentem ſuſtinet, & erigit: ſed  
quid ad eum, qui ſtat, hoc ipſum attinet? aut quanti  
id illius refert, qui eius non egeat adminiculo? hic enim  
neque utile eſt, neque neceſſarium, ſed uirtuti præter-  
ea eſt impedimento: non enim ſolum multas affert mo-  
ras, ſed maiorem etiam partem detrahit gloriaẽ. Nam  
ſi quis eum armis undique texerit, qui & nudus deſcen-  
dere in certamen, & ita ſuperior eſſe poſſit; is, tantum  
abeſt, ut opem ferat, ut ſummam illi faciat iniuriam,  
quippe qui omnem uictoriaẽ admirationẽ tollit, & pal-  
mæ ſplendorem. neque enim uiri uirtutem uniuerſam  
elucere, neque trophæum admodum celebre eſſe ſinit.  
In nuptiis uero maius etiam damnum fit, quòd non ſo-  
lum popularem gloriam, ſed eam etiam mercedem non  
habet, quæ uirginitati propoſita eſt. Quamobrem bo-  
num eſt homini mulierem non tangere. quid tu igitur  
tangere permittis? Propter fornicationẽ, inquit, unus-  
quiſque habeat uxorem ſuam. Vereor, inquit, ſi te ad  
uirginitatis uerticem extollere uoluero, ne in uoraginẽ  
intemperantiaẽ delabaris. nondum enim ea pennarum  
leuitate præditus es, ut te ad excelſum illum locum ef-  
ferre poſſis. atqui ſponte ipſi in illud certamen deſcen-  
derunt, & uirginalem laudem appetuerunt. quid igi-  
tur eſt, diue Paule, quòd timeas, aut horreas? quòd  
rei ignoratio (ita enim fortãſſe dixerit) hanc homi-  
nibus uirginitatis expetendæ alacritatem addit. me  
uero huiuſce uſus, & periclitatio pugnaẽ reddit ad  
E ii conſu-

XXVI.  
Maximam ſibi  
ipſum facere  
iniuriam, qui  
cum uirginita-  
tẽ colere poſ-  
ſit, connubio  
iungitur.

XXVII.  
Magnum quid  
dam esse uirgi  
nitatem, &  
magnorū con  
ciliatricem bo  
norum.

Pfal. 126.

Pfal. 126.

Ephē. 6.

consulendum aliis timidiorē. Noui uirginitatis uim : noui huius certaminis contentionem : quantum hoc habeat prælium difficultatis, intelligo : uehementi quodam, & forti animo opus est, & qui nullum habeat sensum uoluptatis : quandoquidem per candentes carbones, ut non aduraris, per mucrones gladiatorum, ut non saucieris, est incedendum : ea est enim libidinis uis, ut cum igni, & ferro conferatur. quòd nisi sic anima comparata fuerit, ut ne illius quidem doloribus moueatur : se ipsa facile perdat. quamobrē adamantina quadam rationis uis, oculis nunquam somno conuiuentibus, summa tolerantia, muris etiam firmis, muris inquam nobis opus est, & repagulis, quibus extrinsecus muniamur : uigilantibus præterea, fortibusq; custodibus, in primis uero diuinæ gratiæ indigemus adiumento. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra uigilat qui custodit eam. Sed quomodo hoc ipsum adiumentum nobis conciliabimus? si, quantum animo ualemus, & corpore, totum eò contulerimus, rectas nempe cogitationes, summam ieiunii, & uigiliarum intentionem, accuratam diuinæ legis obseruationem, præceptorum obedientiam, & quod caput est, omnem confidentiæ nostræ uitationem. licet enim magna facinora fecerimus, tamen illud nobiscum perpetuo loquamur, oportet : Nisi Dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerunt, qui ædificant eam : quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum sæculi huius, contra spiritalia nequitiae in caelestibus; ac noctes diesque nos armis cogitationum armatos, & tanquam

tanquam impudentibus libidinibus formidolosos esse oportet. etenim si quis paulum de intentione remiserit, continuo diabolus adest, ignem tenens in manibus, quo in templum Dei coniecto, illud incendat. ergo tecti undique simus, necesse est. pugnamus enim cum iis, quæ naturæ necessitas postulat : æmulamur instituto angelorum : eum tenemus cursum, quem mentes tenent incorporeæ : terra, & cinis ad cælum contendunt, & sese cælitibus æquare student, & mortalitas in certamen cū immortalitate descendit. Et, quæso, tanta cum re quisquam nuptias, aut uoluptatem comparare audeat? non ne id erit perabsurdum? quæ cum omnia Paulus intelligeret, Vnusquisque, inquit, suam uxorem habeat. idcirco refugiebat, idcirco non audebat apud ipsos initio de uirginitate differere, sed commoratus in commemoratione nuptiarum, paulatim eos studebat a coniugio reuocare : ac cum breuiter quædam de continentia dixisset, ea nimirum pauca longiori illi de connubio orationi permiscuit : neque Corinthiorum aures grauitate admonitionis offendi passus est. qui enim seuerioribus sensibus usquequaque textit orationem; cum molestus est auditori, tum eius animum sæpenumero uehementer perturbari cogit, ut qui dictorum grauitatem minime perferat : qui uero sic eam uariat, & temperat, ut grauibus rebus faciliora plura, quàm molesta illa sint, commisceat; is & rei seueritatem subtrahit; & reficiens auditorem, ita persuadet, magis, magisq; conciliat. quod quidem etiam diuus Paulus effecit. cum enim dixisset, Bonum esse homini mulierem non tangere, statim ad nuptias retulit orationē, cum inquit, Vnusquisque suam uxorem habeat, quod

1. Cor. 7.

quod ubi in beatitudinis loco posuisset, omisit: Bonū, enim ait, est homini mulierem non tangere. de nuptiis uero & consilium dat, & statuit, & rei præterea rationem adiungit: nam, Propter fornicationem, inquit. in quo uidetur quidem rationē afferre, quamobrem sint concessæ nuptiæ; sed re uera expositis coniugii causis continentiam clam laudando extollit, non id quidem uerbis aperiens, sed auditori cogitandum relinquens. auditor enim ubi cōiugium a Paulo laudari intelligit, non quia perfectæ uirtutis opus sit, sed quòd in ipso auditore Paulus eam nouit inesse libidinem, ut sine nuptiis se in ipsa libidine continere non possit, pudore quodam & rubore suffusus, operam dat, ut continuo uirginitatem colat, & summam intemperantiæ uitet infamiam. Quid uero præterea inquit? Vxori uir debitū reddat, similiter & uxor uiro. quod deinde cum interpretaretur, & explanaret apertius, adiungit, Mulier sui corporis potestatem non habet, sed uir; similiter uir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. quæ cū de nuptiis uideatur dicere, re tamen uera tanquam hamum usitata piscator esca circumuestiens, sic ipse in audientium aures inserit orationem, eo consilio, ut illo ipso sermone de nuptiis eosdem a nuptiis deterreat. nam qui illud audit, se per coniugium non in sua, sed in uxoris esse potestate, confestim operam dabit, ut ab acerbissima seruitute liberetur, uel potius id primū cauebit, ne ipsum subeat iugum seruitutis. ubi enim semel se potestati subiecerit, quā diu ipsi uxori uideatur, ei est necessario seruiendum. me uero non temere hoc ex Pauli sententia coniecere, ex discipulis Iesu facile intelligi potest. nam neque illi graue, aut molestum coniugium

XXVIII.  
Quæ de con-  
nubio dicuntur  
cohortationes  
sunt ad uirgini-  
tatem.

iugium prius existimauerunt, quàm a Domino audiuerunt se in eadem necessitate conclusos, in quā aliquando Corinthios etiam Paulus adduxit. illud enim, Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit ipsam machari; & hoc, Vir sui corporis potestatem non habet; sunt inter se quidem dissimilibus enunciata uerbis, uerum eandem habet ratio utriusque sententiam. Si quis autem Pauli uerba diligentius consideret, tyrannidem magis augeri intelliget, ac seruitutem fieri grauiorem. siquidem Dominus uiri potestatem esse non uult, uxorem domo expellendi; Paulus uero, proprii etiam corporis iure adempto, omnem ipsius principatum dat uxori: cuius imperio subiectum uirum magis esse uult, quàm puerum emptum pecunia. seruo enim, si quando comparata pecunia pretium, quanti emptus est, domino persoluere potuerit, plerumque libertatem omnino recuperare licet: at uir, quamuis omnium difficillimam nactus sit uxorem, seruitutem tamen perferre necesse habet; quippe qui nullam inire potest uiam, qua solutus eiusmodi dominatu liberetur. Cum igitur illud dixisset, Mulier sui corporis potestatem non habet, adiecit, Nolite fraudare uos inuicem, nisi forte ex consensu ad tēpus, ut uacetis orationi, & ieiunio; & rursus reuertimini in id ipsum. Equidem in tanta Pauli indulgentia plerosque eorum, qui uirginitatem e medio tollunt, hic erubescere, & pudere existimo. Sed ne uereamini, ne ue stulte uos abiiciatis. sic enim loquitur Paulus, ut iis, qui connubio iuncti sunt, indulgere uideatur; uerum si quis ea accuratius animaduernerit, unam & eandem atque superiorem uerborum sententiam esse uideat. Quòd si quis propositā.

remo-

XXIX.  
Illud, Nolite  
fraudare inter  
uos, eo dictū  
esse, ut ad uir-  
ginitatem ad-  
duceret.

remouens causam, simpliciter hæc interpretari uoluerit, non tam illa Apostoli, quàm connubiorum conciliatrici cuiuspiam uerba uideantur. sin uero eius mentem explicarit, is hanc etiam admonitionem apostolicam dignitatem habere intelliget. Verum quid longiorem hunc ipsum facit sermonem? nonne satis illud fuerat, cum superiori oratione rei grauitas esset exposita, finem admonendi facere? Quid enim habet amplius hoc, Nolite fraudare uos inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, quàm illud, Vxori uir debitum reddat, & uir proprii corporis potestatem non habet? nihil sane amplius: nisi quòd illic breuius, & obscurius significatum erat, hic & pluribus uerbis, & planius est explicatum. quod nimirum facit Samuelem illum, sanctum Dei uirum, imitatus. quemadmodum enim is quàm potuit subtilissime apud imperitam multitudinem regni leges exposuit, non ut Regem reciperent, sed ne reciperent, quippe qui rei præceptionem tradere uideatur, cum uere quandam ipsius oratio intempestiuæ eorum hominum cupiditatis dissuasionem habeat: sic Paulus etiam connubii tyrannidem continenter inculcat, atque eo ipso sermone planius illos inde reuocare studet. cum enim dixisset, Mulier proprii corporis potestatem non habet, adiunxit, Nolite fraudare uos inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut uacatis ieiunio, & orationi. Vides quo modo eos, qui coniugio essent coniuncti, ut nullam eius oratio suspicionem, aut molestiam haberet, ad cultum continentia perduxerit? Ab initio re omnino commendauit: Bonum, enim inquit, est homini, mulierem non tangere. In hoc uero admonitionem etiam adhibuit, cum inquit, Nolite fraudare uos inuicem, nisi forte

forte ex consensu. sed quid est, quamobrem, quod statuere uolebat, id tanquam monitum introduxit, non in iussi formulam redigit? non enim dixit, Fraudate inter uos, uerum ex communi uoluntate, ut uacatis orationi: sed, Nolite fraudare uos inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus: quòd hæc est lenior oratio, quæ doctoris mentem, & sententiam declarans, minime id acerbius exigit, quòd ita summa Corinthiorum gratia persoluitur. Quamobrem fit, ut non solum auditorem consoletur, sed etiam breuitate orationis rei tristitiam comprimat, & ante ad iucundiora transeat, in illisq; diutius hæreat, & commoretur, quàm ad auditorem molestia perueniat. Illud etiam quærendum est, cum honorabile sit connubium, & thorus immaculatus, quamobrem illi nullum in ieiunio, & oratione locum relinquat? quod perabsurdum esset Iudæis, quorum ad corpus omnia pertinebant; quibus etiam duas in matrimonio habere concessum erat, & illis ipsis dimissis uxoribus, alias earum loco ducere, tantum eiusce rei rationem habentibus, ut per id tempus, cum loquentem Deum audituri essent, ne legitimo quidem uterentur concubitu; idque non unum, aut alterum, sed complures dies efficerent: nos tanto diuinæ gratiæ beneficio affectos, Spiritu sancto afflatos, qui domitas habemus libidines, qui una cum Christo sepulti, qui Dei adoptione dignati sumus, nos ad tam excelsum dignitatis gradum elatos, tot denique tantisq; ornatos muneribus, ne infirmorum quidem illorum hominum studium assequi non posse? quòd si quis illud etiam quærare persistat, cur Moises ipse Iudæos ab eiusmodi coniunctione remouerit, ei ego ita respondeam, honestum quidem

XXX.  
Cum sit honestum connubium, quid fit quòd Paulus in ieiunio moneat de abstinentia concubitus.

F esse

Iohel. 2.

esse coniugium, sed eatenus, ut coniuges ea se coniunctione non inquinant: sanctos uero præterea homines eo fieri, non iam connubii uirium esse, sed uirginitatis. uerum, ut id non solum Moisen, Paulumq; monuisse existimes, audi quæ a Iohel. dicantur: Sanctificate ieiunium, uocate coetum, congregate populum, coadunate senes. Sed quæris fortasse, ubinam ab uxore abstinendum iusserit? Egrediatur, inquit, sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. hoc enim est Moisis etiam præcepto maius. nam si eos, qui connubio iuncti sunt, feruentes libidine, florentes ætate, cupiditate effrænatos, in ieiunio, & oratione se iungi oportet: quanto ceteros magis, quibus tantam uim non affert necessitas coniunctionis? qui enim, ut debet, sacris precationibus operam dat, & ieiunium adhibet, hunc omnem cupiditatem, omnem terrenarum rerum curam, omnem mentis perturbationem abiicere, præclareq; undique comparatum sic ad Deum adire oportet. Ob id etiam ieiunium bonum est, quod omnem circumcidit animi sollicitudinem; & eam, quæ circa mentem effunditur, curam humilium, abiectarumq; rerum contrahens facit, ut tota in se ratio ipsa uertatur. quod cum Paulus attigisset, subobscura significatione nos a concubitu auocauit; sermoneq; admodum proprio usus est: non enim dixit, ne inquinemini, sed, Ut uacetis ieiunio, & orationi: quod coniunctio cum uxore non illa quidem ad impuritatem adducit, sed implicat negotiis, & occupationibus. Cum autem nobis, hoc adeo tuto, & munito loco collocatis, in ipso tempore orationis diabolus tamen aliquod impedimentum conetur inferre: quid non molietur mentis oculis

XXXI.  
Qui precatio  
nis rite ope  
râ dare uelint,  
eos necessario  
Paulum a con  
cubitu auocaf  
se.

oculis hic, & illic libidine incensis, si dissoluta, dissipataq; anima nos esse compererit, & muliebris coniunctionis cupiditate languentes? quod ne accadat; neque, quo potissimum tempore Deum nobis studemus placare, eo ipso per inanem orationem in nos reddamus offensorem; tum iubet a thalamo secedere. Si enim ii, qui ad Reges adeunt, Reges autem? immo uero si ad minimos magistratus, si serui ad dominos accedentes, uel ut de illata sibi ab aliquo iniuria conquerantur, uel egentes ab eisdem ut aliquid auferant, uel omnino sibi ut iratos lenire studeant, ita congregiuntur, ut & oculos, & mentem omnem ad eos conuertant: qui si etiã paulo remissiores fuerint, tantum abest, ut, quod illis opus est, assequantur, ut etiam, malo aliquo accepto, inde digrediantur: quod si illi hominum animos sedare cupientes, tantum adhibent cõtentionis: quid miseris nobis fiet, qui ad communem omnium Dominum, ac Deum ita remisse dissoluteq; accedimus? præsertim cum ea commiserimus, quibus multo magis nobis Deus irasci, quàm illis domini succensere debeant. neque enim tam dominum seruus, neque tam Regis, qui in eius potestate sit, irritare potest, quàm Deum in dies singulos irritamus ipsi: quod eo Christus declarauit, cum peccatum in proximos centum denarios appellauit; delicta uero in Deum decem milia talentorum. Quare cum ad Deum adimus, ut tantam eius in nos iram precibus extinguamus, & eundem, quem quotidie oppugnamus, nobis conciliemus, iure nos ab illa auocat uoluptate, quasi sic agat nobiscum. Hic mihi, carissimi homines, animæ salus agitur: uersamur in extremis discriminibus: trementes, timidiq;, ac

XXXII.  
Si segniter  
Deum prece-  
mur, non mo-  
do non placare,  
sed etiam ir-  
ritare.

Matth. 17.

F ii demisso



C H R Y S O S T O M I

demisso, atque humili animo simus, oportet: nam accedimus ad Dominum formidolosum, & qui multis lacessitus iniuriis magna habet, quæ nobis succenseat: non complexibus, aut uoluptatibus impertiendum est hoc tempus, sed lacrymis, acerbissimis gemitibus, abiectione corporis ad terram, diligenti confessione, continentibus precationibus, multisque supplicationibus consumendum. quod si quis uel summo illo studio iratum Deum placare potuerit; ualde magnum sane is effecerit; non quod durus sit Dominus noster, aut inhumanus, quippe cuius est tanta lenitas, & humanitas; sed quod non patitur incredibilis magnitudo scelerum, ne in illa quidem bonitate, facilitate, summaque misericordia Deum facile nobis ignoscere. propterea inquit, Ut uacetis ieiunio, & orationi. quid igitur hac seruitute acerbius esse potest? uolo progredi in uirtute: uolo continentis ieiunii, & orationis patientia, omnibus elutis animi fordibus, ad cælum euolare. quod si illa huic sententiæ assentiri non uult, tum demum eius libidini cogor inferuire. quapropter Paulus a primo dixit, Bonum est homini mulierem non tangere. quare Dominum etiam discipuli sic allocuti sunt: Si ita est causa homini cum uxore, expedit non nubere. sic enim ratiocinabantur, alterutri parti iniuriam fieri necesse esse: atque illis anxii cogitationibus hanc uocem emisere. Quamobrem Paulus etiam id ipsum inculcat assidue, ut Corinthios in eam inducat cogitationem; Vnusquisque suam uxorem habeat: &, Vxori uir debitum reddat: &, Mulier proprii corporis potestatem non habet: &, Nolite fraudare uos inuicem: &, In id ipsum reuertimini. Neque uero etiam beatis illis uiris, ut primum id audierunt

XXXIII.  
Eorundem repetitionem Christi imitationem esse.  
I. Cor. 7.

D E V I R G I N I T A T E . 23

dierunt, ita esse persuasum est; sed, cum ea de re iterum accepissent, tum, quantam iussum possideret necessitatem, intellexerunt. etenim cum Christus ipse sedisset in monte, de eo differuit: cumque multum aliis de rebus sermonem habuisset, rursus eis amorem iniecit continentiae: nam frequentata eadem de re oratio ad persuadendum plus habet efficacitatis. itaque Christi discipulus, magistri exemplo, eandem rem saepius iterat, nusquam autem illis, ut conubio iungantur omnino, sed cum causa concedit: nam, Propter fornicationes, propter satanicos, inquit, impulsus, propter incontinentiam. atque ita in eo sermone de nuptiis occultius, quam ut quisquam id eum agere suspicetur, uirginitatis laudes persequitur. Quod si eos, qui matrimonio iuncti sunt, Paulus inde ad multum tempus remouere dubitat, ne quem aditum nactus ea se quasi per cuniculum diabolus insinuet: quæ illis coronæ debentur, quæ nullius eiusmodi ab initio solatii egruerunt? quæ ad extremum inuictæ permanferunt? quanquam non æque ad utrasque diaboli machinæ adhibentur. his enim ne molestum quidem esse arbitror, quippe quas proximum refugium habere intelligat: quibus etiam, si uehementiorem aliquem appulsus senserint, statim in portum confugere licet. nam neque diuus Paulus permittit ipsis, ut longius nauigent; uerum admonet, ubi defessi fuerint, uti congregiantur, &, ut ad id iterum redeant, cohortatur. At uirgo fluctibus omnino iactari cogitur, & mari nauigare minime portuoso: quod si grauissima tempestas coorta fuerit, ne sic quidem nauis in portum deducta quiescere potest. ut igitur, qui piraticam faciunt, nunquam ad oppida aut in naualibus, aut

XXXIII.  
Virginitatem rem esse admirabilem, & multis coronis dignam.

aut portibus, quòd ita sine causa discrimini sese offerrent, nauigantes adoriuntur; uerum, si in alto nauem offenderint, eius solitudinem audaciæ occasionem habentes, omnia mouent, omnia uersant; neque prius ea conari desistunt, quàm aut uectores submerferint, aut eo ab illis ipsi malo affecti fuerint: sic acer iste pirata magnam in uirginem tempestatem, difficilemque iactationem, ac procellas intolerabiles cõmouet, infima summa miscens, ut & ui, & impetu nauem euertat: audiuit enim, uirginem facultatem non habere ad idem redeundi, sed illi contra spiritus nequitiae luctari assidue, & continenter pugnare necesse esse, donec ex illa nauigatione in tranquillum portum perueniat. tanquam enim forti militi, mœnibus excluso, sic Paulus uirgini, uel si acrius instet hostis, uel si etiam hoc ipso uehementior sit, quòd nullam habeat aduersarius potestatem faciendi indutias, portas prohibet aperiri. neque uero diabolus uirgines modo magis exercet, quàm eos, qui connubio iuncti sunt, sed ipsis etiam uehementior inest impetus libidinis. quod quidẽ omnibus omnino perspicuum est. nam quibus frui possumus arbitrato nostro, ea non facile appetimus: quòd facultas, quam habemus, percipiendi illa, negligentiam animo nobis ingenerat. quod nimirum testatur prouerbium uulgare illud quidem, sed tamen uerissimum, Quæ in promptu sunt, eorum non esse nos admodum appetentes. contra autem fit, si quando priuamur iis, quæ antea possedimus: quæ enim propter copiam contemnimus, ubi non sunt in potestate nostra, maior eorum nobis cupiditas innascitur. Quamobrem primum tranquilliori loco sunt coniuges: tum, si quando in illis excitatur ardor

dor libidinis, concubitu facile sedatur. uirgo autẽ non habens unde ignem restinguat, flammam quidem excitatam, & in altum sublatam uidet, sed eam extingueri non potest: tantũ uero relinquitur, ut igni resistens non uratur. quid igitur est admirabilius, quàm uniuersum gestare in animo rogam ardentem, neque comburi? quàm flammam in intimis animæ partibus uersari, & integram permanere rationem? nemo enim illi dat hanc ueniam, ut libidini parens eiusmodi carbones effusos extinguat. uerum quod scriptor prouerbiorũ fieri non posse dicit in corpore, id ipsum anima uirgo cogitur sustinere. quid igitur inquit ille? Nunquid potest homo ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ eius? ecce ambulat ipsa, & perfert cruciatum. Nunquid potest quisquam abscondere ignem in sinu, ut uestimenta eius non ardeant? at hæc ipsa non uestibus, sed intus ignem continens furentem, & crepitantem flammam perfert, & sustinet. Etiam ne, quæso, nuptias quisquam cum uirginitate conferre, uel omnino in eius conspectu ponere audeat? at non id permittit diuus Paulus, qui magnum inter utrunque ponit interuallum. hæc enim, inquit, cogitat, quæ Domini sunt: illa autem cogitat, quæ sunt mundi. itaque iis, qui connubio iuncti sunt, eodem compulsis, & ita obsecutus, audi quo modo iterum eos accuset. Ad id enim, inquit, reuertimini, ne tentet uos satanas. ac cum uellet ostendere, nequaquam totum id illius tentationi tribuendum esse, sed maiorem partem in nostra desidia residere, rei causam admodum propriam attulit, cum, Propter uestram, inquit, incontinentiam. quis igitur hæc audiens non erubescat? quis incontinentiæ uitupe-

Prou. 7.

uituperationem non studeat effugere? neque enim ad omnes hæc pertinet admonitio, sed ad illos tantum, qui sunt ad libidinem procliuiiores. nam, Si usque eò feruus es, inquit, uoluptatum, usque eò mollis, ut semper inhies libidini; corpus cum uxore commisce. itaque non laudantis, neque permittentis ista, sed contemnentis est, & improbantis oratio. nisi enim uoluptarios homines uehementer carpere uoluisset, nunquam eam incontinentiæ uocem adhibuisset, quæ cum maxime significat, tum magnam notat infamiam. cur enim non dixit, Propter imbecillitatem uestram? quòd in ea uoce uenia magis inesset: uerbum autem incontinentiæ summam arguit ignauiam: nam incontinentis hominis est, adulterio se abstinere non posse, nisi assidua coniugis consuetudine fruatur. Quid igitur hoc loco afferant, qui uirginitatem superuacaneam censent? nam quo magis ea, diutiusque seruatur, eo maiorem habet laudem: coniugio uero cum quis ad satietatem abutitur, tum maxime omni laude priuatur. Hoc autem, inquit, dico secundum indulgentiam. at cui indulgentia tribuitur, nullus ipsi ea in re locus ad laudem relinquatur. De uirginibus autem cum differeret, Præceptum, inquit, Domini non habeo, consilium autem do. An igitur coniugium propterea uirginitati confert? minime is quidem: nam de uirgine consilium dat, hic tribuit indulgentiam; neutrum certe iubet; neque eadem est utriusque rei causa; uerum hic, ne, si quis ab intemperantia discedere uoluerit, tanquam iusso coactus, necessario id facere prohibeatur; illic, ne, si uirginitatis laudem assequi nequeat, rerum, quæ facultatem non habeant, quasi præcepto non paruerit, condemnentur.

demnetur. Non iubeo, inquit, uirginitatem colere: nam rei uereor difficultatem. non iubeo assidue rem habere cum uxore: nolo enim legis intemperantiæ lator esse. cum, ut inter se conueniant, dico; ueto quidem in inferiorem locum descendere, cupiditatem perueniendi altius non impedio. non igitur hæc est principalis Pauli uoluntas, ut cum uxore consuetudinem assidue habeamus; uerum hoc statuit propter ignauiam intemperantium. quòd si eius sententiam nosse uis, audi quæ dicat ipse. Volo, inquit, omnes homines, sicut me ipsum, continentes esse. Si igitur uis, omnes uti se contineant; neminem uis iungi coniugio. At enim eos qui connubio iungi uolunt, neque propterea prohibeo, nec accuso: omnes tamen oro, & exopto ab omnibus, uti similes mei sint. concedo illis connubium propter fornicationes: quòd uero illud mihi optatius est, propterea dixi initio, Bonum esse homini mulierem non tangere. Quid autem hoc loco sui mentionem facit, cum, Omnes homines, inquit, uolo esse, sicut me ipsum? nam nisi hoc adiecisset, sui mentionem euitasset. quid igitur addidit, Sicut me ipsum? non eo quidem consilio, ut se ipse extolleret. is enim est, qui cum Apostolos in prædicatione euangelica labore præstitisset, se tamen Apostoli nomine indignum iudicauit. nam cum se minimum esse Apostolorum dixisset, tanquam aliquid magnificentius locutus, quàm suæ esset dignitatis, eo statim se ipse correxit, Qui non sum dignus uocari Apostolus. Sed quamobrem hoc loco id ipsum ad cohortationem adhibuit? non temere id quidem, aut sine causa, sed quòd intelligeret discipulos ad uirtutis studium magistri exemplo maxime incitari oportere.

G ut enim,

XXXV.  
Apostolū ad exemplū continentiae se ipsum interposuisse.

1. Cor. 15.

1. Cor. 15.

ut enim, qui uerbis, non re philosophi sunt, haud magnam auditori afferunt utilitatē : sic, quod quisque alteri faciendum censet, id si a se prius recte factum probare potest, is ita omnium maxime audientem in suam adducit sententiam : deinde ab inuidia se, atque animi elatione uacuum esse ostendit . quod enim proprium suum est, id cum discipulis communicat, ac nihilo plus sibi assumit, quàm illis tribuat, sed eos omnibus rebus sibi æquales esse uult. Possum & tertiam eius rei causam afferre : quamnam ? quòd, cum id factu difficile, atque eiusmodi uideretur, ut non quiuis illud assequi posset ; cumque eam ipse rem magnam habere facultatem uellet ostendere ; eum, qui id opus absoluisset, in medio posuerit, idque, ne multi laboris rem existimarent, quinimmo ducem intuentes fidenter ipsi etiam in eandem uiam ingrederentur : quod & alio loco facit ad Galatas scribens, & eis timorem legis eripere studens : quamobrem ipsi ad ueterem consuetudinem moremque deducti multa legis præcepta seruabant . quid igitur inquit ? Estote, sicut ego : quia ego, sicut uos . quod in hanc sententiam dictum est. Neque enim ita mecum agere poteritis . tu recens a gentibus rediisti, &, quid ob legem non seruata timendum sit, ignoras : propterea impune in his omnibus nobiscum philosopharis . etenim ut uos, inquit, hanc ego olim seruitutem seruiui : ego legi astrictus fui : ego præcepta obseruauit : uerum, ubi gratiæ lumen eluxit, totum me ab illa lege ad hanc gratiam contuli . nec tamen id est contra legis præcepta, quòd in alterius uiri potestatem uenimus . quamobrem nemo illud de me poterit dicere, quòd aliud faciens ipse, ad aliud reliquos cohorter : neque quòd id cogitē,

quo

Gal. 4.

quo modo me in tuto collocans, uos in discrimen adducam : nam si res periculosa esset, nunquam me ipse prodidissim, nunquam salutis meæ curam neglexissim . Quemadmodum igitur Galatis, suo proposito exemplo, metum eripuit : sic hoc loco, se in medio posito, solitudine Corinthios liberat . Sed unusquisque, inquit, proprium habet donum, alius autem sic, alius uero sic . Vide signum apostolicæ summisionis nusquam deperditum, sed ubique maxime elucens . quæ enim ipse recte fecit, Dei gratiam nominat : quem ipse multum effudit sudorem, omnem Domino tribuit . sed quid mirum est, eum ita de sua loqui continentia, cum de prædicatione differens, cuius causa innumerabiles labores, assiduas solitudines, incredibiles ærumnas, quotidianas mortes perpeffus fuerat, eadem ratione procedat ? Quid igitur de ea inquit ? Abundantius omnibus elaborauit, non ego autem, sed gratia Dei mecum . non enim partem sibi sumit, partem Deo dat, sed totum illi tribuit : quod grati serui est argumentum, nihil suum putare, sed omnia domini ; nihil proprium ducere, sed omnia domini . id quod & alio loco facit, cum enim dixisset, Habentes donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differens, progrediens oratione præfecturas, eleemosinas, communicationem bonorum numerauit in donis . Hæc autem recte facta esse, non dona, plane perspicuum est : quæ sane dixi, ut, cum illud acceperis ab eo, Unusquisque proprium donum habet, ne concidas animo, ne ue sic tecum loquaris : nihil mihi ad hanc rem labore, aut studio meo opus est : donum enim eam Paulus uocauit . neque enim ita dixit, quòd continentiam in numerum cælestium mu-

G ii nerum

XXXVI.  
1. Cor. 7.  
Virginitatem  
modestiae cau-  
sa ab Aposto-  
lo donum ap-  
pellari.

1. Cor. 15.

Rom. 12.

nerum uellet referre, sed modestiæ causa donum appellauit. non enim adeo & a se ipse, & a Christo dissentiret, cuius illud est, Sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum: & illud, Qui potest capere, capiat. Sibi certe, iis condemnatis, quæ, cum uiduitatem elegissent, non manserunt in sententia, minus ipse constaret. nam si donum id est, quid ipsis eo minaris? Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. nusquam enim Christus in eos animaduertit, qui dona non habuerunt; at illos semper poena afficit, qui honeste uitam non agunt. Atque illud, quod ab ipso maxime quæritur, optima uitæ ratio est, & actiones eiusmodi, quæ nullam habent ansam reprehensionis: partes uero facere diuinorum munerum, eaque distribuere, non accipientis est optio, sed dantis iudicium. quamobrem Christus nusquam eos laudat, qui miracula faciunt; quin etiã discipulos propter id ipsum lætitia elatos illis uerbis ab eiusmodi animi uoluptate deterret; Nolite gaudere, quòd spiritus uobis subiiciuntur: qui enim beati dicuntur, ii sunt misericordes, humiles, mites, mundi corde, pacifici, quique & hæc omnia, & horum similia efficiunt. atque ipse quidem Paulus, enumeratis iis, quæ recte fecisset, in illis cõmemorauit de sua continentia. In multa enim, inquit, patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in uigiis, in ieiuniis; quibus adiecit, in castitate; cuius, si donum res esset, non meminisset: quid enim eos accusat, qui castitatem non colunt, quippe quos intemperantes appellat? quid etiam eum rectius facere dicit, qui nuptum non det uirginem? quã denique

1. Tim. 5.

Luc. 10.

2. Cor. 6.

denique ob causam beatior est uidua, si in uoluntate non nubendi perstiterit? quòd, ut iam diximus, nõ miraculis, sed honestis actionibus tribuuntur beatitudines, quemadmodum nec cessationi, sed prauis actibus supplicia proponuntur. Sed quid opus fuit in eiusdem rei admonitionem permanere, si nostri illa non sit arbitrii, si, præter diuinæ gratiæ momenta, non etiam opera, ac studium nostrum nobis sint ad eius facultatem necessaria? cum enim dixisset, Volo omnes homines, sicut ego sum, continentes esse; rursus inquit, Dico autem non nuptis, & uiduis: bonum est ipsis, si sic permanerint, sicut & ego: se iterum interponit propter eandem causam. quòd enim ipsi propinquum, & domesticum exemplum haberent, uirginitatis laboribus fortius occurrerent. nam etsi supra dixerat, Volo omnes homines esse, sicut me ipsum; & hic etiam dicat, Bonum est ipsis, si sic permanerint, sicut & ego; nusquam uero rei causam afferat: nihil tamen est, quòd mireris: neque enim id superbia facit, sed quòd satis rem probari existimat sua sententia, qua fretus ipse munus illud absoluerat. Quòd si quis etiã rationes cognoscere uoluerit; primum hominum exquirat sententias; deinde, quæ rei accidant, animaduertat. quanquam enim legumlatores eiusmodi nuptiarum poenam non constituunt, sed eas concedant, atque permittant: tamen in homines secundarum nuptiarum multa a multis, & domi, & in foro maledicta, probra, conuiciaq; iactantur. omnes enim aditu, & congressione indignos eos existimantes, non secus, quàm qui iuramentum uiolant, abhorrent; neque cum illis fere amicitiam instituere, aut foedus facere, neque omnino quicquã illis credere audent.

XXXVII.  
Multas inesse molestias in secundis nuptiis.

audent. uidentes enim eos tantæ consuetudinis, necessitudinis, coniunctionis, societatis memoriam tam facile ex animo eiicere, ea in cogitatione quasi quodam torpore perfusi, minime fidenter eos in consuetudinem recipiunt, sed a leuibus atque inconstantibus hominibus refugiunt: neque uero solum propter eam causam, quam diximus, se ab illis auertunt, sed eorum, quæ ab ipsis fiunt, fastidio, & offensione. Quid enim, quæso, turpius esse potest post maximos luctus, gemitus, & lacrymas, post diuturnum capitis squalorem, pullæque stolæ fordes, quàm repentini plausus, quàm nuptiales thalami, quàm sonitus priori contrarius: quæ similia sunt lusibus histrionum, qui modo hi, modo illi fiunt. eundem enim hominem uideas in scæna interdum Regem, interdum aliquem agere omnium egentissimum. talis hic etiam: qui cum nuper ad sepulcrum uoluntaretur, fit repente sponsus; qui, quo ex capite capillos euellebat, rursus in eo coronam gestat; qui, cum mæstus, & mærens, multisque sæpe cum lacrymis ad eos conuersus, qui se consolarentur, mortuam laudasset, sibi que uitam acerbam propterea esse dixisset; & illis succenseret, qui eundem se a luctu abducerent; frequens inter illos ipso comptus iterum, & ornatus apparet; qui ridentibus oculis eos ipsos intuetur, quos iisdem lacrymantibus prius aspexerat, & eo ore amice accipit, & salutat omnes, quo cuncta hæc ante repudiabat. Miserrimum autem est omnium, bellum ad perniciem liberorum, læna contubernalis filiarum. eiusmodi enim est omnino nouerca: hinc quotidiana seditio, & pugna; hinc inopinata illa, & noua obtrectatio eius, quæ nulla lædit iniuria. uiui enim inter se odia exercent, mortuis uel hostes recon-

reconciliantur. at nullus apud hanc est odii, aut inuidiæ finis: sed ab eadem pulueri, & cineri obtrectatur: incredibiles similitudines: cum humata geruntur, iurgia, maledicta: crimina in eam, quæ in terram dissoluta est, iaciuntur: cum ea, quæ nihil nocuit, sempiternæ exercentur inimicitia. quid hac amentia, & crudelitate terrius, aut flagitiosius esse potest? quæ nullam a mortua accepit iniuriam: quid dico iniuriam? quæ fructus capit illius laborum, in cuius rebus luxuriose uiuit, nullum finem facit pugnandi cum eius umbra, quæ nullam attulit molestiam; ac sæpius, quam ne uidit quidem, quotidie uerberat conuiciis innumerabilibus, a cuius liberis pœnas expetens mortuam ulciscitur. atque, ubi nihil proficit ipsa, sæpenumero uirum armat in illos ipsos. Sed tamen hæc omnia facilia hominibus, tolerabiliaque uisa sunt, dum ne libidinis tyrannidem perferre cogantur. At uirgo in hac acie non æstuauit, neque declinauit certamen, quod multis uidetur intolerabile, sed fortiter insistens naturæ proelia sustinuit. Quis igitur uirginem satis pro merito queat admirari; cum alii, ne urantur, secundarum nuptiarum indigeant; ipsa autem, intacta ab omnibus, perpetuo casta, & integra permaneat? quamobrem etiam antequam de his differat, propter ea præmia, quæ in cælo uiduitati collocata sunt, sic inquit, is, qui in se Christum loquentem habebat: Bonum est ipsis, si sic permanserint, sicut & ego. Non potuisti ad summum uerticem ascendere: at uide, ne ex isto gradu in inferiorem locum, ubi illa est, decidas; tanto autem tibi præstet uirgo, quanto præclarius est eam ne semel quidem libidini succubuisse, quàm, cum  
in te

in te aliquando libido dominata sit, perpetuo dominari non potuisse; quantoq; præstantius est, illam integram, inuiolatamq; e pugna superiorem discedere, quàm te, una accepta plaga, inde uictoriam reportare. omnino pugnae exitu pares estis: at initio tantum illa superauit. In eos autem, qui connubio iuncti sunt, longe indulgentior est: qui ne altero quidem uolente, illos ab ipsis distrahat; neque disunctionem, quæ comuni utriusque cõsilio facta est, producit longius: quin etiam ipsis alteras, si modo id cupiunt, ne urantur, concedit nuptias; iis autem, qui uirginalem castitatem colunt, ne unum quidem eiusmodi solatium dedit: uerum cum illis intermissam parumper rursus remittat uoluptatem, nullum relinquit uirgini respirandi locum, sed eam uult perpetuo in proelio uersari, & assiduis libidinum aculeis uulnerari; neque, ut se tantisper relaxet, eidem permittit. sed quamobrem illud etiam uirgini non dixit, Si se non continet, nubat? quod ne athletæ quidem, cū is, reiecto pallio, unctus in certamen descendit, iamque puluere aspersus est, quisquam dixerit, abscede, fuge aduersarium: sed illi alterutrum necesse est euenire, uel ut uictor corona donetur, uel ut humi stratus cum infamia discedat. nam in ludo, & palæstra, quòd cum familiaribus homines exercentur, & cum amicis tanquam cum aduersariis congregiuntur, suo quisque arbitrio eum laborem suscipit. cum uero descriptus frequentissimo theatro fuerit; atque is, qui ludos facit, adest; omnesq; spectatores confedere; ac productus aduersarius illi ipsi opponitur: tum lege certaminis illo priuatur arbitrio. Virgini etiam, quàm diu deliberat, utrum connubio iungatur, an non, nuptiæ fraudi

XXXVIII.  
Quid sit, quare iis, qui matrimonio iuncti sunt, magna solatia, uirgini uero ne respirandi quidē a laboribus facultatem concedat.

fraudi non sunt: ut uero uirginitatem elegit, descriptaq; in certamen descendit; quis audeat, plaudente theatro, angelis e superiore loco spectantibus, Christo certaminis præfecto, diabolo furente, fremente etiam dentibus, hærenteq; in lucta, ac medium occupante spatium, quis, inquam, in medium progressus sic cum illa agat, fuge hostem, cede labori, recede de pugna, ne sterne, ne ue supplantas, sed palmam defer aduersario? quid dico uirgines? cum uiduis hac uti uoce nemo audeat, sed potius pro huiusmodi sermone horribilem illam habeat orationem; Cum luxuriatæ fuerint in Christo, & nubere uoluerint, damnationem habebunt, quia primam fidem irritam fecerunt. Atque idem ipse Paulus, Dico autem innuptis, & uiduis, Bonum est illis, si sic permanserint sicut & ego: quòd si se nō continent, nubant: & illud, Quòd si dormierit uir eius, libera est, cui autem uult, nubat, tantum in Domino. Sed quamobrem in eam, quam liberam dimiserat, poenam deinde constituit, & quod in Domino esse inquit connubium, id quasi contra legem conciliatū condemnat? ne uerearis: non enim id de his ipsis, sed de alteris uult intelligi nuptiis. ut enim, cum dixit uirginem, quia nupserit, non peccare, de ea non est locutus, quæ coniugium renuntiarit, quippe quam deliquisse, & intolerabili scelere se astrinxisse perspicuum est omnibus; sed de illa, quæ expers adhuc nuptiarum, nihil dum statutum habet, uerum etiam nunc inter utrunque ancipiti cogitandi cura distrahitur: sic et uiduā: hoc enim loco de ea omnino loquitur, cui, uiro amisso, neque dum deliberatum sit nubere, & integrum, utrum malit, optare: illic uero eam significat, cui, cum iam in certamen

XXXIX.  
Cui uiduæ, cui ue uirgini nubendi potestatem permittat

1. Tim. 5.

H continentia

continentiæ descenderit, non amplius liberum est nubere cum aliquo: licet enim, quàm diu id non elegerit, uiduam esse, neque in uiduarū ordinem referri: itaque inquit ipse, Vidua deligatur non minus sexaginta annorum. nam uiduæ omnino, si uoluerit, potestatem nubendi facit: at eam, quæ, coniuge mortuo, se in reliquum tempus Deo castam fore professa sit, si postea nupserit, uehementer accusat, ut quæ pacta, quæ cum Deo fecerat, tanquam obtrita neglexerit. non his ergo, sed illis dixit, Si se non continent, nubant: melius est enim nubere, quàm uri. Vides, ut per se nuptias nusquam admiremur, sed propter incesta, atque stupra, propter tentationes, propter incontinentiam? hæc quidem omnia supra scripsit. uerum, quòd ipsos male uerbis acceperat, rursus iucundiori uocabulo rem ipsam appellat, incendium, & ardorem nominans. ac ne id quidem, ut auditorem non lacefferet, præteritum uoluit. non enim dixit, si quadam libidinis ui coguntur, si transuersi aguntur, si non possunt: nihil omnino posuit eiusmodi, quod aut uim allatam ostendat, aut uenia dignum sit: uerum quid is inquit? Si uero se non continent, nubant. quod eorum uoluntati tribuendum est, qui propter pigritiam nolūt elaborare. demonstrat enim ipsos rei facultatem habentes, ob id minus eam perficere, quòd laborem defugiunt: in quos tamen uel ita affectos neque animaduertit, neque his ipsis supplicia proponit, sed tantum laude priuatis, uerborum reprehensione uim uituperationis ostendit: nusquam uero meminit liberorum procreationis, quæ quidem causa facit, ut connubium speciem habeat, & grauem causam honestatis; sed innati ardoris,

1. Tim. 5.

1. Cor. 7.

ardoris, intemperantiæ, stupri, & incesti, fatanicæq; tentationis. quare, ne quid tale committatur, concedit coniugium. Quid ergo est? inquit: dummodo nobis perpetuæ libidini, & luxuriæ parere liceat impune, quamuis reprehensionem, ac uituperationem facile feremus. quid uero, uir optime, si ne uoluptate quidem frui licet? Sed quo modo libidini, inquit, negas inferuendum esse, cum apud Paulum ita sit, Si se non continent, nubant? Tu uero audi, quæ præterea sequuntur. accepisti ne, quemadmodū præstet nubere, quàm uri? probasti, quod iucundum est: concessam rem laudasti. Apostolum propter indulgentiam es admiratus? at istuc ne constiteris, sed perge legere, quæ sequuntur. eiusdem enim Apostoli est utrunque consilium. quid igitur præterea inquit Apostolus? Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a uiro non discedere: quòd si discesserit, manere inuuptam, aut uiro suo reconciliari; & uir uxorem ne dimittat. Quid autem, si uir moderatus est, uxor uero nequam, maledica, loquax, & quod commune est mulierum uitium, sumptuosa, multisq; aliis imbuta uitiiis fuerit? quo modo miser ille quotidianam hanc molestiam, superbiam, & impudentiam perferet? quid, si contra acciderit, probam illam, & mitem esse, uirum autem ferocem, insolentem, iracundum, pecunia etiã, potentiaq; admodum elatum, & inflatum, qui liberam habeat pro ancilla, nihiloq; melius in eam, quàm in famulas sit animatus? quonam pacto eiusmodi necessitatem, uimq; tolerabit? quid denique, si uir ab uxore continenter auersus, perpetuo abhorreat? Perferat, inquit, omnem istam seruitutem: tantum enim illa sui

XI.  
Magnam esse  
ex coniugio  
seruitutem, ne  
que posse uita  
ri.



iuris futura est, cum is euita migrarit: nam, quàm diu uixerit, alterutrum necesse est, uel ut eum magno studio regat, ac moderetur, melioremq; faciat, uel bellum minime denuntiatum, perpetuumq; proelium fortiter sustineat. Ac supra quidē dixerat, Nolite fraudare uos in uicem, nisi forte ex consensu: hic uero disiunctā ipsam a uiro uel inuitam se continere iubet: Maneat, inquit, innupta, aut uiro reconcilietur. Vides ne ipsam mediam inter duo proelia, ut uel libidinis uim ferre, uel, si id noluerit, ei, a quo afficitur iniuriis, assentari, & omnino pro eius arbitrio, siue is uerberibus, siue conuitiis uexare, siue ludibrio, & despectui seruorum subii cere, siue huiusmodi quippiā cōmittere uoluerit, ( multas enim uiri uias reperiunt, cū uolunt, inferendæ uxori iniuriæ ) in omnibus patiens esse necesse habeat? quòd si illa non tulerit, continentia colat, oportet, inutilem, inutilem, inquam, quòd eo non nititur fundamento, quo deberet. nō enim id sanctitatis studio facit, sed ira in coniugem incitata. Maneat, inquit, innupta, aut uiro reconcilietur. Sed quid inquit, si nunquā cum uiro in gratiam redire uoluerit? habes illud alterum, quo te inde expedire possis: quidnam id est? Expecta, dum is tibi decedat. nam, quemadmodum uirgini, uiuo eius uiro, ( immortalis autem is est ) nunquam licet nubere: sic nuptæ, tantum coniuge mortuo. nam si fas esset, illo uiuo, coniungi cum altero, tum ab illo transire ad alium, aliis aliorum uxoribus promiscue, & communiter inter se ad libidinem abutentibus, uirisq; omnibus cum illis omnibus omnino concumbentibus; quid tandem coniugio opus fuit? aut quo modo hodie hoc, illo cras, ac deinceps aliis cum eorum uxore consuetudinem

consuetudinem habentibus, coniugum amor; ac studium non labefactetur? quamobrem Dominus merito id adulterium appellauit. Quid igitur de Iudæis permittit? nempe propter illius gentis pernicitiam, ne inter se dimicarent, ne proprias domos implerent sanguine propinquorum. Vtrum, quæso, præstat, inuisam uxorem domo expellere, an intra parietes domesticos occidere? quod sane fecissent Iudæi, si non ipsis illam ex ædibus eiicere licuisset. itaque inquit, Si ipsam odisti, amandato. cum uero ad moderatas, & ad eas loquitur, quibus, ut irascantur, minime permittit, quid inquit? Si discesserit, maneat innupta. Vides ne rei necessitatem, & inexorabilem seruitutem? uides utrunque uinculis undique constrictum? est enim connubii necessitudo instar uinculorum, neque solum propter curarum turbam, quotidianasq; molestias, sed quòd usque adeo coniuges deuincit nodo seruitutis, ut nulla magis seruitia in cuiusquam dominatu, quàm ipsi alter in alterius potestate esse cogantur. Dominetur, inquit, uir uxori: sed quodnā illi facit is dominatus emolumentum? rursus enim in eius seruitutem tradit, quæ ipsius potestati subiecta est. Nouam præterea quandam, & admirabilem excogitauit compensationem seruitutis. ac, quemadmodum serui fugitiui, singuli separatim uincti a suis dominis, rursusque tenui quadam catena inter se constricti uniuersi, quòd compedibus catenæ utrinque affixis, alius alium sequi cogitur, liberam non habent abeundi facultatem: sic coniugum animæ, cum propriam sui curam sustinent, tum altera etiam premuntur necessitate, a communibus coniugii uinculis imposita; quæ & grauius urget omnibus uinculis, & hoc

XLI.  
Quamobrem  
Iudæis Deus  
diuortium per-  
miserit.

& hoc ipso ab utroque libertatem aufert, quòd alteri ne semel quidem principatum defert, sed utrique distribuit. Vbi igitur sunt parati isti ad omnem perfectam seruitutem propter fructum uoluptatis? nam in diffidiis, ac dissensionibus, quæ sæpissime inter ipsos ad multum tempus permanent, non parum de uoluptate deminuitur: atque eiusmodi seruitus, quæ alterum uitia alterius uel inuitū ferre cogit, facile omnē obruit fructum uoluptatis. iccirco sanctus ille uir impetum libidinis primum repressit graui illa cohortatione, Propter fornicationes, propter intemperantiam, ardoremque libidinis. ut uero intellexit, apud multitudinem eam reprehensionem minimi esse ponderis; illud, quod ad deterrendum uim maiorem habet, adiunxit. quamobrem discipuli etiam dicere coacti sunt, Non expedit nubere. quod hanc uim habet, qui connubio iunctus sit, sui iuris esse neminem. ac neque id ita dictum est, quia cohortatio sit, aut consilium, sed quia iussi, ac præcepti necessitatem habeat. iungamur enim connubio; necne, nostri id arbitrii est: ut uero in matrimonio collocati fuerimus, nostro carentes arbitrio, uelimus, nolimus, seruitutem feramus necesse est. quamobrem id tandem? quia haudquaquam huius seruitutis ignari eam expetiuiimus; sed, eius tum officiorum, tum legum admodum intelligentes, uoluntario nos ipsi iugo subiecimus. Deinde uero, cum de iis locutus esset, qui fideles uxores habent, omnibusq; de cōiugio legibus explicatis, atque sermone de seruis interposito, illis denique ipsis satis eo confirmatis, quòd eiusmodi spiritalis ingenuitas seruitute non imminuitur; reliquū deinceps aggreditur de uirginitate sermonem

nem; quem diu conceperat animo, ac parturierat, parit in presentia. neque tamen in iis, quæ de cōiugio dicit, tacitā uirginitatem relinquere potuit, breui quidē eius facta, dispersaq; mentione: sed tamen hanc ipsam orationem illi etiam cohortationi intexuit, præclara ista ratione & uia nostras aures ad audiendum præparans; et animos ante deliniens, aditum ad orationem sibi optime comparat. itaque post eam, quam in seruos adhibet, admonitionē, (Pretio, inquit, empti estis, nolite fieri serui hominum) Domini in nos beneficia nobis in memoriam redigit, atque eo omnium mentibus excitatis, & ad cælum erectis, illum infert sermonem de uirginitate, De uirginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. de fidelibus autem, qui infideles mulieres habent in matrimonio, cum nullum haberet præceptum, hisce uerbis magna auctoritate legem tulit: Nam ceteris ego dico, non Dominus; si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, ne dimittat illam. Quid igitur non fers eandem de uirginibus sententiam? quia de hac ipsa re plane Christus statuit, uirginitatem uetans inter necessaria iussa referri oportere. illud enim, Qui potest capere, capiat, liberam dat auditori optionem eligendi. cum autem de continentia differit, Volo omnes homines, inquit, sicut me ipsum, esse continentes. Item, Dico autem innuptis, & uidiuis, bonū est ipsis, si permanserint, sicut & ego. Cum uero de uirginitate disputat, nusquam se ipsum interponit: itaque summissius loquitur, & plane refugiens: neque enim id ipse perfecerat. Præceptum, inquit, non habeo; primum

mum id ad arbitrium cuiusque referens, sibi que bene-  
 uolum faciens auditorē, sic ad consilii dandi rationem  
 aggreditur. quòd enim uirginitas, ut primum ea uox  
 emissa est, magnam uim laboris ostendit; iccirco ad uir-  
 ginitatis cohortationem non statim accessit, sed, data  
 auditori soluta eligendi optione, eum sibi conciliat, &  
 ipsius animum huiusmodi apparatu deliniens, & oble-  
 ctans, initium ad id adhortandi facit. Tu, hoc audito  
 uirginitatis nomine, quòd eius cultus multi laboris sit,  
 atque sudoris, nihil propterea timebis. non enim est  
 iussum, neque ita præscriptum, ut necessario seruari de-  
 beat. nam eos Apostolus, qui rem sua sponte, & uo-  
 luntate suscipiunt, fulgentibus, & florentibus coronis  
 ipsorum capitibus impositis, propriis bonis remunera-  
 tur: qui uero excusatione utuntur, nec ad ipsam uolunt  
 accedere, neque in eos poenam statuit, neque id effice-  
 re cogit inuitos. nec uero ob id solum lenem, & dul-  
 cem orationem adhibuit, sed eo etiam, quòd eius rei  
 beneficium non suum, sed Christi esse dixit. non enim  
 inquit, De uirginibus haudquaquã ipse præcipio, sed,  
 Præceptum non habeo. quasi ita diceret: Si rationibus  
 humanis impulsus ista cogitarem, cogitatis meis con-  
 fidendum non esset: sed quando ita Deo uisum est, ma-  
 gnum id habetis pignus uestræ libertatis. mihi quidem  
 iubendi talia facultas non est: quòd si conseruum quo-  
 dam modo uestrum uultis audire, do, inquit, consi-  
 lium, tanquam misericordiam consecutus a Domino,  
 ut sim fidelis. Quo quidem loco Pauli artificium, ad-  
 mirabilemque prudentiam licet intueri, quo modo ui-  
 delicet is inter duas necessarias, easdemq; inter se con-  
 trarias res deprehensus, & ita se commendat, ut gra-  
 tum,

tum, acceptumque illi eius habeant consiliū; &, quòd  
 eam uirtutem non erat affectus, nihil de se magnifice  
 locutus, breuiter utrunque comprobarit. quod enim  
 dicit, Tanquam misericordiam consecutus, quodam  
 modo se ipse commendat. quòd non autem a præcla-  
 rioris officii munere id faciat, rursus se extenuat, &  
 deprimat. Non enim do, inquit, consilium tanquam  
 is, cui creditum sit euangelium, tanquam qui dignus  
 habitus sim, qui illud apud gentes prædicarē, tanquam  
 negotium meæ præfecturæ gerens, tanquam doctor, &  
 magister. Quid ergo? Tanquã misericordiam, inquit,  
 consecutus a Domino, ut sim fidelis; & illud etiam at-  
 tenuans. minus est enim, tantummodo fidelem esse,  
 quàm fidelium magistrum. Alteram deinde summissio-  
 nis rationem excogitat: quamnam? non dixit, ut qui  
 per me fidelis fuerim, sed, Tanquam misericordiã con-  
 secutus, ut sim fidelis. Cãuete enim existimetis, quòd  
 Apostolus, quòd prædicator euangelii, quòd doctor  
 sim, Dei hæc solum esse beneficia. etenim fides etiam  
 ipsa eiusdem est Dei in me misericordiæ. non enim pro-  
 pter dignitatem meam, inquit, fidei munere sum affe-  
 ctus, sed propter misericordiam modo: misericordia  
 autem gratiæ est, non meritorum; ut, nisi admodum  
 benignus Deus fuisset, non solum Apostolus, sed ne fi-  
 delis quidem ullo modo esse possem. Vides gratum ser-  
 ui animum, summamque summissionem, ut nihilo  
 plus sibi assumat, quàm ceteri habeant? quin etiam fi-  
 dem ipsam, quæ ei communis erat cum discipulis, ne  
 sibi quidem tribuit, sed Dei benignitati, & gratiæ acce-  
 ptum refert, id ipsum hisce uerbis declarans: quod idē  
 ualet, ac si diceret: Nolite meum aspernari consilium:

XLII.  
 De Pauli sum-  
 missione.

I neque

neque enim me Dei benignitas est aspernata, praesertim cum hoc sit consilium, non iussi uim habeat. faciendum enim id censeo, non, uti faciatis, legem fero. nam ponere in medio, & proponere quae unicuique conducant, praesertim cum id ipsum, quemadmodum nos in praesentia, auditorum rogatu facias, nulla lex prohibuerit. Existimo autem, inquit, hoc bonum esse. Vides humilem rursus orationem, & omnis expertem auctoritatis? & quidem ei in hanc sententiam loqui licuisset: Quia Dominus noster de uirginitate non praecipit; propterea ne ego quidem praecipio; suadeo certe; uosque ad eius cultum cohortor: etenim Apostolus uester sum. quemadmodum ipse ad eos loquens postea dixit: Si aliis non sum Apostolus, at uobis sum. at nihil hoc loco horum dicit, sed uerecundiore utitur oratione. nam pro eo, Vobis auctor sum, consilium do: loco eius, Tanquam doctor, tanquam misericordiam, inquit, a Domino consecutus, ut sim fidelis. Ac, ueluti si non ea satis essent ad summisionem orationis, a consilio exorsus, sibi rursus praecidit auctoritatem, non statuens omnino, sed afferens rationem: Existimo enim, inquit, hoc bonum esse propter instantem necessitatem. atqui de continentia differens, neque uerbum adiecit, Existimo, neque ullam praeterea rationem; sed omnino, Bonum est illis, ait, si permanserint, sicut & ego: hoc autem loco, Existimo id bonum esse propter instantem necessitatem. Quod quidem facit, non quo de re dubitaret, (nihil enim minus) sed uti totum id audientium permittat arbitrio. neque enim consilii est, decernere quae dicit, sed totum auditoribus iudicandum relinquere. Sed quamnam hic etiam nobis necessitatem

XLIII.  
Ecquam Paulus  
instantem ap-

tem inquit impositam? a natura ne? minime. primum enim, si id dixisset, facta illius ipsius mentione, contrarium ei, quod uoluisset, efficeret: nam qui connubio iungi uolunt, eandem sursum, deorsumque uersant: deinde nunquam ipsam instantem uocauisset. non enim nunc primum, sed iam diu haec insita est in hominum genere libido: quae quidem cum uiolentior olim esset, & plane indomita, Christi aduentu, & eius uirtutis ui, quae nobis adhibita est, domitu facilis est facta. Ergo nullus est hac de necessitate sermo: uerum alteram obscurius significat uariam, atque multiplicem. Sed quamnam est ista necessitas? humanarum rerum, negotiorumque conuersio. is enim est concursus curarum, ea sollicitudinum oppressio, ea uarietas casuum, ut, qui connubio iunctus sit, uel inuitus multum saepe peccare, & errare necesse habeat. Nobis autem summa haec uirtutis norma olim praescripta non erat, sed & ulcisci iniurias, & conuicia in conuiciatorem iactare, & facere pecuniam, & uere iurare, & oculum pro oculo eruere, & inimicos licebat odisse: neque etiam luxuriose uiuere, aut irasci, aut, uxore eiecta, alteram ducere, erat impeditum: ac neque id solum, sed duas etiam eodem tempore habere in matrimonio lege permittebatur: magna praeterea cum harum, tum aliarum rerum omnibus indulgentia tribuebatur. quae sane indulgentiae uia post Christi aduentum longe fuit angustior, neque eo solum, quod tanta haec eorum, quae diximus, licentia, quanta uerbis exprimi non potest, circumcisa nobis est, sed quod eam uxorem, cuius suasu, coactuque multa etiam saepe peccamus, inuiti domi perpetuo habere cogimur: uel, qui uelit eiicere, adulterii condemnetur,

XLIIII.  
Facilius uirginitate, quam connubio caeleste regnum acquiri.

neceſſe eſt. neque uero ob id ſolum eam uirtutem aſſequi nequimus, uerum etiam, ſi ſit uxor moribus facilibus, tamen moles curarum, quæ nobis circumfunduntur propter ipſam uxorem, ac liberos eius, ne minimum quidem cælum ſuſpicere patiuntur, undique animum quadã quaſi uertigine contorquentes, & obruentes. quòd ſi uir priuatorum hominum tutã, atque tranquillam uitam uiuere uoluerit; nullo modo id aſſequi queat. cum enim uideat circum ſe ſtare liberos, & uxorem, cui multa in ſumptum eroganda ſint; uel inuitus demittit ipſe ſe in fluctum ciuiliū negotiorũ: quòd ubi inciderit, non dici poſſit, quanta illi deinceps peccandi neceſſitas impoſita ſit, in iracundia, in iniuria, in iureiurando, in conuicio, in ſimulatione, multa gratiæ, multa ſimultatis cauſa faciendo. qui autem fieri poſteſt, ut is ea tempeſtate iactatus, & in illa ipſa laudem quærens, magnas inde peccatorum ſordes non contrahat? Ac ſiquis domesticas eius res ſcrutatus fuerit, tum eum grauiori etiam difficultate uxoris cauſa plenum offendet. de multis enim cogitur uir eſſe ſolicitus: quorum nullam ſua cauſa curam ſuſcipere neceſſe haberet; idque, ſi modeſta eſt uxor, & commodis moribus: ſi uero nequam, difficilis, & moleſta fuerit, non modo hanc ipſam rem neceſſitatem dicemus, ſed pœnam, atque ſupplicium. quo modo autem is, tanto negotiorum oppreſſus pondere, grauiſſimis etiam uinculis catenæ ad terram aſſidue trahentis conſtrictis, & colligatis pedibus, (uincula enim uxoris improbitatem appello) quo modo, inquam, cæleſte illud iter, quod ſoluto, & expedito gradu, uacuo etiam, ac libero animo ineundum eſt, ſic affectus conſicere poterit? Sed quæ eſt

eſt iſta ſapiens multitudinis oratio, qua nobis reſpondent ad ea omnia, quæ in ipſos diximus? Nonne, inquit, maior illi merces debetur, qui in tanta difficultate propoſitum ſibi finẽ nihilo minus aſſequitur? Quid ita, uir optime, aut quamobrem? Quia maiorem, inquit, propter coniugium laborem ſuſtinet. Quis autem eum tantum oneris ſuſcipere coegit? nam ſi, matrimonio coniungi, legi omnino eſt obtemperare; contra uero, non nubere, legis iuſſa negligere: habet ſpeciem probabilitatis iſta ratio. ſi autem is, cum iugum connubii minime ſubeundi poteſtas ipſius eſſet, nemine cogente, ut ſibi illud uirtutis certamen moleſtius redderet, libens in tantas ſe difficultates induit: nihil id ad certaminis auctorem: tantum enim is iuſſit bellum cū diabolo ſuſceptum conſicere, & ex pugna uitiorum referre uictoriam. quòd ſiue quis iunctus connubio, corporique deſeruiens, deque multis ſolicitus, ſiue exercitus, & excruciatuſ, ab omni uero alia cura liber, id ipſum perficiat: nihil illi eſt curæ de reliquo: rationem certe uictoriæ, & uiam, quæ ad trophæum ducit, illam is eſſe inquit, quæ ab omni terrenarum rerum cura ſoluta ſit, & libera. tu uero cum uxore, liberis, & iis, quæ inde moleſtiæ contrahuntur, impeditus, quòd bellum gerere, & pugnare uiſ, quaſi eadem effecturus, maiorẽ etiam fructum percepturus, quàm illi, qui nulla earum rerum implicatur, propterea ſis admirabilis? ſed ſi te in illum excelſum locum, quòd illi aſcenderunt, peruenire non poſſe dixerimus: magno fortaffe nos arrogantia crimine condemnabis: uerum exituſ ipſe, & coronarum dies tibi illud facile probabit, inani ambitioni multo præſtare certam poſſeſſionem, longeque eſſe melius

XLV.

Nullũ iis præmium eſſe pro poſitum, qui ſuperuacaneas excogitat difficultates.

CHRYSOSTOMI

melius parere Christo, quàm inanibus tuis rationibus comoueri. Christus enim rerum omnium renuntiationem ad uirtutem assequendam satis esse negauit, nisi præterea ipsi nos oderimus. tu uero in his omnibus uolutatus, te in hoc proelio superiorē esse posse affirmas? sed, quemadmodum dixi, tum præclare intelliges, quantum uxor, curæque de ea susceptæ ad uirtutem consequendam impedimentum afferant. Quo modo igitur hanc adiutricem, inquit, appellauit, quæ impedimento est? Faciamus enim, inquit, ei adiutorium simile sibi. Ego contra abs te quæram, quo modo illa adiutrix, quæ tanta uirum tranquillitate priuauit? quæ de admirabili illo paradisi statu deturbauit, & in huius uitæ perturbationem impulit? hæc enim non modo non sunt adiutricis, sed eius, quæ hostilem in modum insidiata fuerit. A muliere enim, inquit, initium factum est peccati, & per illam morimur omnes. Ac diuus quidem Paulus, Adam, inquit, non est seductus, mulier autē seducta in præuaricatione fuit: quo modo igitur adiutrix illa, quæ uirum morti subiecit? quo modo adiutrix, cuius uitio filii Dei, uel potius omnes terrarum incolæ una cum feris, ac uolucris, ceterisque animantibus eluione perierunt? nonne uxor iusto illi Iob, nisi is admodum se uirum præbuisset, fuisset exitio? nõ sua Sansonem perdidit? nonne eò mulier Hebræorum genus adduxit, ut omnes Beelphegor initiarentur, & propinquorum manibus trucidarentur? quis maxime Achab, quis ante eum Salomonem, summa sapientia, & gloria uirum, diabolo prodidit? nonne uxorū suasu uiri etiam nunc multa apud Deum offendunt? an non iccirco sapiens ille breuem omnem malitiam super malitiã mulieris

XLVI.  
Si ad uitæ perfectionē uxor impedimento est, quid sit, quod eam adiutricem uocet diuinæ literæ.  
Gen. 1.

Eccle. 15.

I. Timot. 2.

Eccle. 15.

DE VIRGINITATE. 36

mulieris esse testatur? Quonam igitur pacto, inquit, Deus illud dixit, Faciamus ei adiutorium simile sibi? neque enim mentitur Deus. nunquam enim ego ausim id dicere; minime. illa quidem profecto ad hoc creata fuit, uerum dignitatem suam retinere noluit; quemadmodum ne propriam quidem uir conseruauit. etenim illum Deus ad sui imaginem, & similitudinem finxerat: Faciamus enim, inquit, hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: quemadmodum illud etiã dicit, Faciamus ei adiutorium simile sibi. quibus ille præditus, mox amisit utrunque: nam neque quod de diuina imagine, neque quod de similitudine ei fuerat imperitum, tutatus est. qui enim? cui uel inuito, cum is, importunæ libidini deditus, & fallacibus captus illecebris, minime uoluptatem temperasset, omne ornamentum diuinæ imaginis detractum est. neque enim paruã ei Deus potestatis partem ademit, qui ipsum ceteris animantibus præpositum, quasi dominum quempiam formidolosum, tanquam ingratum seruum, qui apud dominum offendisset, in contemtionem seruorum adduxit: nam initio uel a bestiis omnibus timebatur. omnia enim Deus ad eum adduxit: neque illi quidquam nocere audebat, uel insidiari, quippe quod in eo uidebant regiam relucens imaginem. simulac uero speciem illam peccati tenebris obscurauit, Deus hominem de imperii statu deiecit. Ut igitur, quod in omnes terrenas animantes is non tenet imperium, quin etiam tremis non nullarum timore perterritus, propterea Dei sententiam illam, Dominentur bestiis terræ, falsam id esse non arguit: non enim largientis uoluntate, sed accipientis culpa illa tum deminutio facta est: sic, quæ uiris, infidiæ

Gen. 2.

insidiæ comparantur ab uxoribus, nihil illis uerbis efficiunt, Faciamus ei adiutorium simile sibi. ut enim illud efficeret, mulier creata fuit, at non in eo mansit. Sed illud præterea dici possit, ad huius uitæ conseruationem, ad liberorum procreationem, naturalemq; libidinem quantum ea adiumentum afferat, nobis ostendi. Sed cum & huius uitæ, & propagandæ sobolis, omne coniunctionis tempus abierit; quid hic mihi adiumentum istud frustra cõmemoras? nam eã, quæ minimis tantum in rebus possit opitulari, si quis in magnis etiam negotiis adiutricem adhibeat, non modo sibi nihil profuerit, sed etiam curarum impedimentum accesserit. Quid autem Paulo, inquit, ad illud respondebimus? Vnde enim scis, mulier, si uirum saluum facies? aut quid ad ea dicemus, cum ipsius adiumentum in spiritalibus etiam necessarium esse demonstrat? Istud & ego fateor. non enim omnino eam a spiritali societate remoueo, non: quin eam laudem tum assequi affirmo, cum res, quæ pertinent ad connubium, non agit, sed muliebri sexu ad uirtutem sanctorum uirorum peruenit. non enim, cum fucō oblitur, cum luxuriose uiuit, cum certas a uiro pensiones exigit, cum sumptuosa, cum prodiga est, illis moribus ad salutem uirum perducere poterit; sed, cum infra se habens humana omnia, uitamq; exprimens Apostolorum, summam cum probitatem, ac modestiam, tum pecuniæ despicientiam, tolerantiamq; præsefert, tunc ipsum poterit trahere in suam sententiam; cum dicit, Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus; cum hæc uita, & moribus ostendit; ac corporis irridens interitum, uitam hanc nihil esse dicit; cum omnem rerum humanarum

XLVII.  
Quo modo uirum adiuuet uxor in spiritalibus rebus.

1. Timoth. 6.

humanarum gloriam ex sanctissimi Prophetæ sententia pro feni flore putat. Non igitur uxor, quia cum uiro coniungatur, uirum seruare poterit, sed euangelicæ uitæ ratione, & instituto: siquidem id nullo iunctæ connubio multæ mulieres effecerunt: nam Priscilla Act. 18. Apollo, inquit, assumpto, eum in omnem uiam ueritatis induxit. quòd si id nunc usu non uenit, ut idem studium mulieres adhibeant, & hunc ex se fructum edant; non tamen illa, quemadmodum dicebam, quia uxor esset, hominem allexit: siquidem nihil prohibeat, quemquam eorum, qui fideles uxores habent, in infidelitate permanere; quandoquidem connubium, & coniunctio per se rem perficeret. at non est ita, non inquam ita est, sed optima uiuendi ratio, summa tum patientia, tum eorum contemptio, quæ coniugio attributa sunt, perpetuusq; huius usus operis efficiet, ut eum seruet, qui cum est matrimonio copulata. quòd si permanserit in cupiditate, & studio eorum, quæ ad uxores attinent; non modo non ipsi adiumento, sed etiam detrimento fuerit. quantam autem uel ita res habeat difficultatem, ex Paulo cognose. Vnde enim, inquit, scis mulier, si uirum saluum facies? quo nimirum interrogandi genere in iis, quæ propter opinionem accidunt, uti consueuimus. sed quid præterea adiicit? Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Vides, quàm frequenti transitione utatur? quantam identidem ad utrumque adhortando utriusque temperationem adhibeat? ut enim in iis, quæ de connubio differuit, excitans auditorem, continentiam interposuit: sic hoc loco etiam de continentia loquens, ut idem interdum reficeretur auditor, rursus

K coniugium

coniugium introducit . a uirginitate exorsus est , ac priusquam de ea differeret , statim ad nuptias refugit . quod enim dixit , Præceptum non habeo , eo concessit , & introduxit connubium : deinde ad uirginitatem ingressus , atque ita locutus , Existimo hoc bonum esse , quia animaduertat , si uirginitatis nomen sapius inculcaretur , id iis , quorum esset fastidiosior aurium sensus , molestius futurum , minime frequens illud adhibet : quin , etiam si satis causæ attulerat ad solatium laborum , qui propter eam rem suscipiuntur , cum instantem dixit necessitatem , neque sic tamen rursus uti uocabulo uirginitatis est ausus : sed quid ? Bonum , inquit , homini sic esse . ne id quidem uerbo exprimit , uerum præcens , & abscindens orationem , antequam rei acerbicatem aperiret , sermonem illum intulit de connubio : Alligatus es uxori ? noli quærere solutionem . quod nisi ita esset ; nunquam adductus fuisset , ut hic eiusmodi solatium excogitaret , quòd esset superuacaneum , in consilio de uirginitate de cõiugio disputare . deinde iterum ad uirginitatem redit : ac neque hic etiã suo rem nomine appellat : quid uero inquit ? Solutus es ab uxore ? noli quærere uxorem . Sed ne uereare : non decreto id Paulus , non lege fanciuit . nam ut hunc timorem eriperet ; quæ de uirginitate dixerat , eiusmodi sermone de nuptiis subsecutus est : Si autem acceperis uxorem , non peccasti . Sed ne in eo quidem concides : rursus enim te ad uirginalem castitatem reuocat . atque hæc est huius orationis sententia , eos , qui connubio dent operam , magnam corporis molestiam sustinere . ut enim boni , & lenes medici cum acriori medicamento uti , & ad secandum , aut ad urendũ uenire , aut omnino eiusmodi

eiusmodi aliquid ægroto uolunt adhibere , haudquam hæc omnia simul efficiunt , sed interuallo medentes ægrum respirare patiuntur , & ita reliquã identidem adiiciunt : sic diuus Paulus neque sine interuallo , neque uniuerse , neque omnino ordine sententiam de uirginitate contexit ; sed frequenti connubii commemoratione interrumpens , atque ita rei molestiam occultans , illud est assecutus , ut & iucundior , & gratior esset oratio . Atque hæc est causa permistæ in hac disputatione uarietatis . reliquum uero est , ut uerba etiam illa perpendamus : Alligatus es , inquit , uxori ? noli quærere solutionem . quod non tam ualet ad consilii dandi rationem , quàm ad proponendam difficultatem , & ad indicandos laqueos , unde nullo te modo expedire possis . quid enim non dixit ; Habes uxorem ? ne dimiseris : uiuis cum illa coniuncte ? ne ab ea distraharis : sed utriusque coniunctionem uinculum appellauit ; ut , quantum haberet res oneris , demonstraret . nam cum omnes inhient connubio , tanquam optabili cuiquam , & expectando bono , ab iis , qui inter se colligati sunt , coniuges nihilo differre ostendit . nam hic etiam , altero trahente ad eius arbitrium , alterum sequi necesse est ; sed titioso item altero , alterum una cum eo interire oportet . Quid si uir , inquit , procliuior fuerit ad libidinem , ego uero cõtinens esse uoluero ? Est omnino eius obsequendum cupiditati . etenim , nisi id tua uoluntate feceris , te iniecta per coniugium uincula ad eum attrahent , cumq̃ ipso congregabunt , qui tibi initio astrictus est . quòd si restiteris , nodumq̃ intercideris ; non solum te non exemeris e uinculis , sed extrema supplicia subibis .

XLVIII.  
Uxorem, quæ  
se contra uiri



uoluntatem cōtinuerit, si uir flagitium fecerit, eius flagitii poenas dare.

eo solum præmio priuatur, quod est continentiae propositum, sed etiam rationem reddet eius adulterii, uel potius ipsius poenam sustinebit. quamobrem tandem? quia uirum illa impulit in eam flagitii uoraginē, quod ei legitimæ coniunctionis fructum denegarit. Quod si uxori ne ad punctum quidem temporis, nolente uiro, facere permissum est: quæ ei uenia dabitur, quæ ipsum perpetuo priuat eo fructu iucunditatis? sed quid, inquit, hac necessitate, quid hac ui grauius possit accidere? Istud ego etiam tibi assentior: sed quid est, quamobrem eam tantæ astringis necessitati? priusquam nuptiæ coniungerentur, non illis coniunctis hac ratione uti oportuit. Quamobrem etiam Paulus post coniugii uincula, coniunctionis eius necessitatem imponens, de disunctione loquitur: nam cum hoc dixisset, Alligatus es uxori? noli quærere solutionem; tum illud adiunxit, Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. quod iccirco fecit, ut, cum, quantam uim habeat cōiugium, diligenter consideraris, atque perspexeris, tum facilius audias, quæ de colenda castitate dicantur. Si enim nupseris, inquit, non peccasti. illud etiam, Si nupserit uirgo, non peccauit: uide quàm præclarum huic matrimonio finem proponat, ut uitet uituperationem, admirationem non habeat: hæc enim est propria uirginitatis. nam qui duxerit uxorem, satis habeat illud audire, se nihil ea re peccare. Quid igitur hortaris, inquit, me, ne uxorem expetam? Quod semel alligato nulla unquam postea tibi inde explicandi te facultas datur; quod summum præterea habet angorem. Sed, quaeso, solum ne id boni est ex uirginitate, quod eius cultu homines angorem effugiunt? at quis, ut uirginitatē colat, his

his propositis præmiis adducetur? cuius uero patientiæ illud erit, in maximū hoc certamen, sudorisque plenissimum, hac tantum mercede descendere? Quid ais? me ad pugnam dæmonum inuitas: (non enim est nobis luctatio cum sanguine, & carne) ut contra naturæ furorem resistam, adhortaris: suades, ut carne, & sanguine coagmentatus eadem assequar, quæ mentes efficiunt incorporeæ: & nunc terrestrium meministi bonorum? ut affirmes nos expertes coniugii nullam molestiam habituros. Sed quamobrem illud non dixit, Virgo, si nupsit, non illa quidem peccauit, sed ipsa se uirginitatis corona priuauit, nempe magnis muneribus, & inexplicabilibus? Quid uero bona non exposuit ea, quæ, certamine confecto, ipsis sunt reseruatæ? quo modo sponso obuiam prodeunt, quo modo fulgentes gestabunt lampades, quo modo gloriose admodum, fidenterque una cum Rege sponso in thalamū introeant, quo modo ad regium solium accedentes omnium maxime fulgeant? At de illis ne uerbum quidē fecit; passim uero meminit uacuitatis molestiarū, quas uita hæc habet. Existimo, inquit, hoc bonum esse: &, omissa causa futurorum bonorum, Propter instantem, inquit, necessitatem. deinde iterum inquit: Si nupserit uirgo, non peccauit. ac, cælestibus muneribus, quibus eam priuauerat, silentio præteritis, Tribulationem carnis, inquit, habebunt huiusmodi. neque uero hactenus id facit, sed usque ad finem perducit orationis: neque rem etiam suadet proposita spe futurorum bonorum, sed iterum ad eandem refugit causam: Tempus, inquit, breue est: atque eius loco sermonis, Volo, ut splendor uester in cælo luceat; & uti magis eluceatis, quàm

X L I X.  
Cur presentibus uoluptatibus ad uirginitatem adhortetur.

quàm qui connubio iuncti fuerint . rursus terrena commemorat , Volo , inquit , uos sine sollicitudine esse .  
 Rom. 12. Nec uero id solum hoc loco facit , sed de tolerantia differens , hanc ipsam inuit consilii dandi uia : Si , inquit , esurierit inimicus tuus , ciba illum : si sitit , potum da illi : ac tantam rem imperans , naturæque necessitati uim iubens afferre , & ita intolerabilem rogam sustinere , in iis , quæ de præmiis dicuntur , & cælum , & cælestia bona silentio transiens , mercedem definit eius incommodo , qui intulit iniuriam : Ita enim , inquit , Carbores ignis congeres super caput eius . Quid autem hac cohortandi ratione usus est ? non inscitia , neque quòd ignoraret , quo modo auditor allici , aut persuaderi deberet ; sed quòd omnium maxime hanc ipsam uirtutem , persuadendi inquam facultatem affecutus esset . unde id apparet ? ex iis , quæ ab eo dicta sunt . quo modo ? quæ ue id ratione ? ad Corinthios loquebatur : ( primum enim dicemus de iis , quæ de uirginitate disseruit ) ad Corinthios , inquam , loquebatur , apud quos se nihil scire iudicauit , præter Christum , & eum crucifixum : quibus cum agere tanquam cum iis , qui rebus cælestibus dediti essent , minime potuit : ac , quòd hærent in corpore , & in cura terrenarum rerum essent defixi , lac etiam tum illis adhibuit : ad quos cum illa mitteret , sic est locutus : Lac uobis potum dedi , non escam ; nõdum enim poteratis : sed ne nunc quidem potestis : adhuc enim carnales estis , & secundum hominem ambulatis . Iccirco terrenarum rerum commemoratione , & eorum , quæ sub oculos , & sensus cadunt , eos & ad uirginitatem cohortatur , & a coniugio deterret . præclare enim intelligebat , humiles , humique stratos , & adhuc

huc in terra defixos , sic terrestribus rebus erigi facilius , & adduci posse . qui enim , cedo , plerique eorum , qui rudi adhuc , tardoque admodum sunt ingenio , tam in minimis , quàm in maximis rebus audacter per Deum iurant , ac peierant , in capite uero liberorum ne iurare quidem audent ? & quidem multo maius illud periurium , multo etiam maior periurii poena : sed tamen hoc iureiurando magis , quàm illo , commouentur . ut uero inopi subueniant homines , non tam cælestis regni pollicitationibus ( quamquam illis uocibus eorum aures assidue personant ) adducuntur , quàm si aliqua uel liberorum , uel eorum ipsorum uitæ utilitatis spes proponitur . tunc itaque eiusmodi misericordiam large imperitiunt homines , cum ex diuturno aliquo morbo conualuerint , cum periculum effugerint , cum potentiam , ac principatum aliquem consecuti fuerint : & omnino maximam hominum partem iis , quæ ante pedes sunt , magis moueri reperias . in secundis enim rebus magis hæc mouent : in aduersis uero plus terroris est , quo propiora sunt sensui . iccirco & ad Corinthios ita locutus est , & Romanos cõmemoratione præsentium rerum ad tolerantiam erudiuit . nam qui imbecillo est animo , si iniuriam acceperit , non tam facile iracundiæ dolorem deponit , cum de regno audierit , aut cum in maximorum spem bonorum inciderit , quàm eius spe supplicii , qui iniuriam fecerit . itaque cum uellet fibras memoriæ iniuriarum extirpare , & omnino libidinẽ puniendi eius , qui læsisset , exhaurire , illud elegit , quod adhibitum ad consolandum eum , qui accepisset iniuriam , magis accommodatum est . non adimit illi spem mercedis in cælo cõstitutæ ; sed tamen ipsum interea , quoquo modo

do potest, in sapientiæ uiam deducere, & ei gratiæ fores patefacere studet. nam uirtutis principia difficillima illa quidem, progressio uero ad uirtutem non ita laboriosa est. At non id fecit Dominus noster Iesus Christus, neque cum de uirginitate, neque cum de tolerantia differuit: sed in illis quidem cælestis regni meminit: Sunt enim, inquit, eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum: cum uero ad preces pro inimicis faciendas cohortatur, neque de incommodo eorum, qui læserunt, mentionem facit, neque candentium carbonū, sed, illis omiſſis omnibus, quæ in eam orationem conueniunt, quæ ad parui, & angusti animi, calamitososque homines habeatur, maioribus eos ipse præmiis inuitat: quibusnam? Ut sitis, inquit, similes patris uestri, qui in cælis est. Vide, quantum præmium proponatur. horum enim auditores fuerunt Petrus, Iacobus, Ioannes, & reliquorum Apostolorum chorus. quamobrem cælestibus eos præmiis inuitat. quod Paulus etiam ipse fecisset, si ei cum huiusmodi hominibus fuisset negotium. quod autem ad Corinthios rudiores loqueretur, ipsis fructus laborum iam nunc re præsentat, quo ad colendam uirtutē alacriores ueniant. Iccirco Iudæos etiam, promiſſis regni cælestis omiſſis, terrenis bonis alliciebat Deus: pro malis uero actionibus non æternum ignem, sed præſentes eis calamitates minabatur, famem, pestilentiam, morbos, seruitutem, bella, & alia eius generis. his enim homines, qui magis hærent in corpore, magis commouentur: quæ uero neque uidentur, neque adsunt, illis mouentur minus. quamobrem Paulus etiam diutius in iis moratur, quæ maxime eorum tarditatem mouere possunt.

Adde,

Adde, quòd illud ostendere uoluit ex aliis bonis, quædam ut assequamur, multis nos in uita laboribus exerceri, fructum autem omnem in futurum tempus referuari; uirginitatem uero, dum colitur, non leuia nobis præmia tribuere, quæ tot, tantisque nos laboribus, ac molestiis liberet. Accedit eò, quòd tertium quoddam comprobari uult. quidnam id est? uirginitatem non ex earum rerum haberi numero, quas adipisci non possumus, sed ex illis esse, quæ maximam habent facultatem. id autem facit, cum multis partibus plures inesse docet in coniugio difficultates, tanquam si diceret: Grauis tibi uidetur huius rei cultus, & laboriosus? ego uero uirginitatem propterea colendam censeo, quòd tantam ea facultatem habet, ut multo minus, quam coniugium, negotium nobis exhibeat: quòd uero uestri misereor, inquit, & molestia liberos esse uolo; iccirco, uti coniugio abstineatis, uobis auctor sum. At quæ est ista molestia, dixerit fortasse quispiam? negamus uero nos, qui summam & quietem, & deliciarum uim in coniugio reperiemus. Ac primum omnium, habere omnē libertatē explendæ libidinis, nullamq; naturalis impetus uim perferre non parum momenti habet ad uitæ tranquillitatem: deinde mærore, squaloreq; remoto a reliqua uitæ consuetudine, est etiam alacritatis connubium, risusq; & lætitiæ refertum etenim & sumptuosus mensis, & molli uestitu, & lecto molliori, & perpetua lauatione, & unguentis, & uino nihilo deterius, quam sint unguenta, concinnato, & aliis multis, uariisq; sumptibus coniuges corporibus indulgentes, in magna luxuria, & uoluptate uersantur. Primum uero ne ista quidem connubio permissa sunt. nobis enim concubitus

L modo

L.  
Et ueteri, & nouo testamēto iniquū esse luxuriose uiuere.

I. Timot. 2.

I. Timot. 2.

I. Timot. 6.

Amos 6.

L I.

Etiam si luxuriose uiuere permissum sit, tamen coniugii molestiis omnem illam tolli uoluptatem.

modo facultatem dare solet, luxuriæ licentiam non itē : quod hisce uerbis Paulus testatur : Quæ luxuriatur uiuens, mortua est. quòd si de uiduis hæc dicta sunt ; audi, quæ de nuptis præterea dicantur : Similiter & mulieres in habitu ornato cum uerecundia, & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut ueste pretiosa, sed, quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. At non hic modo Paulum, sed alibi etiam multum de eo sermonem habere uideas, in his rebus tantum studii omnino ponendum non esse : Habentes, inquit, alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus : nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in desideria inutilia, & noxia, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Sed quid dico Paulum ? qui, cum iam perfectæ uiuendi rationis maturitas uenisset, & summa spiritus gratia diffusa esset, ista dicebat. Amos enim propheta cum ad rudes Iudæos loqueretur de iis, quibus & delicia, & luxuria, & omnia fere superuacanea permissa essent, audi, ut in eos, qui delicate uiuunt, inuehatur : Væ uobis, qui properatis ad diem malam, & falsa sabbata colitis, qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis uestris, qui comeditis hædos de gregibus, & lactentes uitulos de medio armentorum, qui plauditis ad cantum organorum, uinum purum bibentes, & optimis unguentis delibuti : quæ ut stabilia, non ut fugacia, existimarunt. Quemadmodum autem diximus, primum luxuriose uiuere minime permissum fuit : quòd etsi nihil horum uetitum esset, uerum nobis concederentur omnia ; tamen est alia quædam tristitiæ, dolorisq; ratio, quæ æque ualeat, uel potius maior, &

& grauior sit, quòd ne minimam quidem uoluptatis partem ex illis capere patitur, sed omnem inde iucunditatis sensum excludit. Cedo enim, si quis natura propensior sit ad eam ægritudinem, quòd alterum quoque uxore sua potiri suspicetur, etiam si falsa aliqua specie eo morbo correptus sit : quid eiusmodi homine miserabilius esse possit ? quod prælium, quam tempestatem cum huiusmodi suspitione, uel furore comparantes, eius imaginem perfecte consequi poterimus ? omnia doloris, omnia suspitionis, omnia seditionis, ac perturbationis referta sunt. cum uero eo furore corripitur, nihilo melius afficitur, quàm qui aut agitantur a dæmonibus, aut mente capiuntur : adeo continenter effertur, & insultat, stomachaturq; omnibus ; in obuium omnino, & innocentissimum quenque semper exercet iracundiam, siue is seruus sit, siue filius, siue quicumque alius : uoluptas autem omnis excluditur ; angorum, molestiarum, lacrymarumq; plena sunt omnia : etiam si domi se contineat, si in publicum prodeat, si peregrinetur, ubique malis tentatur ; quæ quouis aculeo grauius eius animum mordent, ac stimulant, neque ipsum ullam quietis partem capere patiuntur. neque uero morbus is tristitiam solum, sed etiam iram intolerabilem ingenerare solet. Atque hæc uel per se singula captum perdere queunt. cum uero concurrunt omnia ad hominem assidue opprimendum, & affligendum, neque ei minimum dant respirandi locum ; quo non id est mortis genere calamitosius ? nam uel si summam quis egestatem commemorarit, si morbum insanabilem, si ignem, si ferrum ; nihil illi par attulerit. atque id tantum ii, qui sunt experti, bene nouerunt. nemo

L ii autem

L II.  
Quantum sit zelotypia, id est obrectatio malum.

autem oratione complecti possit mali huius incredibilem magnitudinem : cum eam uir , quam omnium maxime caram habet , pro qua libenter etiam animam profunderet, suspectam semper habere cogatur, ecquid illi solatio esse potest ? siue enim somnum , siue cibum capere, siue ei bibere necesse sit, non tam cibi mensam, quàm pestiferi ueneni refertam putabit. in lecto uero ne punctum quidem temporis tremore uacuum est, sed, tanquam candentibus subiectis carbonibus , sic tumultuatur , seque uersat in omnes partes , quem neque amicorum consuetudo , neque negotiorum cura , neque timor periculorum , neque exuperantia uoluptatis , neque aliud quidquàm ab eiusmodi tempestate potest abducere , sed omni uel commodorum cura , uel incommodorum sollicitudine uiolentior ea procella hominis animum opprimit. Quæ cum animaduertisset Salomon , Dura , inquit , sicut infernus æmulatio . et idem : Aemulationis enim plenus eius uiri animus non parcat in iudicii die , nec ullo pretio inimicitias deponet , neque multis muneribus placabitur . Ea enim morbi huius insania est , ut neque sumpto de eo supplicio , a quo læsus sit , dolorem æger abiiciat. itaque multi , adultero sæpe sublato , neque iram , neque angorem tollere potuerunt. Sunt qui etiam , uxore iugulata , iidem manserint , uel maiori etiam rogo consumpti sint . Ac uir , etiam si nihil eorum uerum repererit , in his tamen uiuit miseris . Multo autem grauiora , quàm ea sint , quæ uir sustinet , perfert misera , & infelix uxor . Cum enim eum , qui se in omnibus molestiis consolari deberet , & a quo defensionem expectare oportebat , immaniore in se , atque omnium sibi inimicissimum esse uideat , quid

Cant. 8.

Prouer. 6.

quid reliquum spectare possit ? aut ad quem confugiat ? ubi , præcluso portu , & innumerabilibus molibus oppositis referto , malorum finem reperiat ? tum etiam iniquioribus utitur seruis , & ancillis , quàm uiro . cum enim suspectum per se , & ingratum est hoc hominum genus : tum uero , si ad maiorem licentiam peruenerint , & dominos inter se dissentire intellexerint , magnam ad insolentiam causam sumunt illorum discordiam . etenim illis per summam licentiam addere , afferre de suo , & comminisci licet , quæcunque uoluerint : tum quoque suis criminationibus maiorem dant materiam suspicioni . nam ut semel animus graui hoc morbo occupatus est , facile credit omnia , & æque se præbet attentum omnibus , ut qui calumniatorem a ueraci diiudicare nequeat . quin etiam eiusmodi homines eos certiores auctores habent , qui suspicionem maxime augent , quàm qui eam imminuere student . sic illi reliquum est , ut contubernales omnes non secus , ac fugitiuos seruos , & eorum uxores necessario timeat , & horreat ; quibus suo cedit loco , contraque ipsa eorum suscipit conditionem . quod illi tandem a lacrymis tempus uacuum fuerit ? quæ nox ? quæ lux ? qui dies festus ? quando libera a gemitu , a fletu , a lamentationibus esse poterit ? undique minæ , contumeliæ , conuiciaque iactantur tum a uiro sine causa timenti , tum uero ab impuris seruis . custodes , primi , alteri ponuntur . omnia denique timoris , & tremoris referta . non enim aditus solum , aut exitus curiosius obseruantur , sed in uerba etiam , in aspectum , in suspiria studiosissime inquiritur . Atque illam oportet uel saxo immobiliore cuncta ferre silentio , & grauiorem in modum , quàm qui uinculis constricti

constricti sunt, in thalamo hærere perpetuo, uel, si loqui, & ingemiscere, aut exire uelit, omnium rationem reddere, causamq; apud corruptos illos iudices dicere, ancillas, inquam, multitudinemq; seruorum. Inter hæc mala si infinitam uim diuitiarum, si mensas exquisitissimis cibus extructas, si seruorum greges, si splendorem nominis, si magnam potentiam, summamq; gloriam, si maiorum claritatem, & amplitudinem ponere uelis: si nihil omnino relinquas eorum, quæ expectandam uitam uidentur efficere, sed, omnibus unum in locum diligenter collatis, & cum hac molestia comparatis: ne apparebit quidem ulla earum rerum species uoluptatis; sed quemadmodum in ingens aliquod pelagus paruam incidentem scintillam, sic illam interire par est. Hæc autem ita sunt, cum eam uir habet suspicionem. Si quando uero inciderit uxor in eiusmodi perturbationem, (neque enim id raro solet accidere) uir quidem facilius eam perferet, quàm uxor: plus autem doloris rursus ad illam miserã redundabit. neque enim iisdem armis in eum, qui sibi suspectus sit, uti poterit. nam quis id tulerit, ut suæ uxoris iussu domi perpetuo commoretur? aut quis e seruorum numero in domino curiosior esse audeat, ut continuo in uoraginem non demergatur? non igitur his machinationibus se ipsa consolari, neque iram querimoniis euomere queat. nam ut illam uir semel forte, aut iterum conquerentem ferat; sic, si nullum fecerit querendi finem, cito eam doceat præstare, id ferre silentio, ac dolore tabescere. Et hæc quidem de suspicionibus. Sin autem a ueris causis forte ea perturbatio proficiscatur, uxorem e uiri læsi manibus eripiet nemo. quin etiam is, legibus suffragantibus

gantibus adductam in iudicium omnium sibi carissimã coniugem iugulabit. ac uir quidem legum poenam effugit, at e superiore loco Dei iudicio condemnabitur. At non satis id est ad illam miseram consolandam. quin diuturnam aliquam, ac miserandam mortem subire necesse habeat; nempe ut cantionibus tollatur, aut ueneficiis, quæ a meretricibus comparantur. Sunt qui ad eas perdendas, quibus iniuriam imposuerant, ne infidiis quidem indiguerint. id enim illæ occupantes doloris grauitate perierunt. Quamobrem, etiamsi uiri omnes alacriores sint ad expetenda connubia, mulieres tamen ea sequi non oporteret. non enim id dixerint, in se tantam inesse uim libidinis, ut necessario cogantur. & maiorem inde partem incommodorum, quemadmodum demonstratum est, trahunt mulieres. Num igitur, inquit, hæc in omnibus insunt nuptiis? At ne ab omnibus quidem absunt; ab omni certe uirginitate uel longissime remota sunt. Ac nupta quidem, ut in hoc malum non incidat, tamen in mali metum incurret. non enim ea, cui cum uiro uiuendum est, in illa consuetudine non potest reputare, ac timere mala omnia. uirgo autem non solum a rei molestia libera est, sed etiam a suspitione. At ista non sunt in omni connubio. Ne id quidem ipse dico. uerum ut hæc illi non insint, aliæ multæ inerunt molestiæ: ac, si quis illas effugerit, haud tamen omnia omnino poterit euitare. ac, quemadmodum cum in dumeti transitu spinæ alicuius uestibus adhæserunt, si is, ut unam uellat, in aliquam se partem conuerterit, multis aliis compungitur: sic in re uxoria, qui hoc effugerit, illo læditur: qui uero illud euaserit, ad aliud offendit: nullū denique omnino molestiæ

LIII.  
Coniugium di-  
uitum expetē-  
dum non esse,  
imo uero pau-  
perum conu-  
bio esse mole-  
stius.

molestiæ expers coniugium reperias. Verum, si uide-  
tur, iis aliquando omissis, quæ molesta sunt, quod in  
hoc ipso felicissimum iudicatur, quodq; plerique sæpe,  
uel potius omnes precibus expetunt, id ipsum in me-  
dium proferentes in præsentia perpendamus. Quid er-  
go est? ut pauper aliquis, humilis, & abiectus, ex am-  
pla, & potenti familia, pecuniaq; affluentem uxorem du-  
cat. at hoc ipsum contempti illius hominis optatum  
non minus calamitatum habere reperias. est enim alio-  
qui superbia elatū, & impotentius mulierum genus, ob  
eamq; causam magis etiam perturbationibus proposi-  
tum. cum uero multas superbiæ occasiones habent;  
nihil est, quod præterea illas in officio contineat.  
sed quemadmodum, ubi filua aliqua concepit ignem,  
flamma in sublime fertur: sic ipsæ elatæ incredibiliter &  
ordinem peruertunt, & summa infima faciunt. neque  
enim uirum principatum tenere patitur uxor; &, qua  
est contumacia, & arrogantia, illo de suo gradu deie-  
cto, detrusoq; in locum sibi congruentem, eum subie-  
ctum esse uult; ipsaq; dominatum, & imperium occu-  
pat. Quid ergo hac peruersitate peius esse potest? Ac  
mitto conuicia: taceo contumelias: prætereo molesti-  
as: nihil ex omnibus rebus est illa intolerabilius. Sin  
autem dixerit quispiam: (id enim de multis audiui-  
tum, cum ista de re sermo haberetur) sit modo copiis,  
atque opibus affluens, nihil erit negotii eam contine-  
re, aut ipsi superbiam excutere. Si quis igitur ista dixe-  
rit, primum ignorat id ex eorum esse numero, quæ ma-  
gnam habent difficultatem: deinde, ut ita sit, non pa-  
rum id detrimenti habet. quod enim illa timore, ac ui-  
in potestate uiri esse cogitur, id uiro grauius est, ac  
molestius,

LIIII.  
Vel si qui diui-  
rem uxorem  
in officio con-  
tinere possit,  
maiores ta-  
men eum ha-  
bere molestia.

molestius; quàm si ipsa omnem imperandi potestatem  
haberet. quid ita? quia omnem ipsa amorem mutuum,  
ac uoluptatem eiicit ex animo uis. sublata autem ami-  
citia, remoto studio, metu, ac necessitate illorum lo-  
cum occupantibus, quid eiusmodi coniugio ad digni-  
tatem relinqui esse potest? Et hæc quidem de uxore locu-  
plete. sin uero usu ueniat, ut egeat ipsa, uir autem abun-  
det; pro uxore erit ancilla; et, quæ libera sit, pro serua  
habeatur; amissaq; propria libertate, nihilo meliore sit  
condicione, quàm qui pecunia empti fuerint. Quin  
etiam, si intemperans ille, si uinolentus esse uoluerit,  
etiam si turbam impudicarum mulierum in eius cubile  
deduxerit; libenter iam omnia ferat, uel domo ipsa  
excedat, necesse est. neque uero solum hoc molestiæ  
habet, sed, uiro sic affecto, nec seruis, nec ancillis libe-  
re quidquam poterit imperare, sed, perinde quasi cum  
alienis uitam agat, & fert quæ non sunt suæ dignitatis,  
&, tanquam apud Dominum potius, quàm apud ui-  
rum habitet, sic omnia per uim & agere, & pati cogi-  
tur. Quod si pari nubere uoluerit, rursus lege, quæ sub-  
iectam uiro uxorem esse iubet, æqualitas, & par ho-  
noris læditur gradus, cum facultatum modus postulet,  
ut ea cum uiro æquetur. quid igitur est, re undique  
miserrima, quod quisquam possit efficere? Nec ue-  
ro est, ut pauca admodum, & quæ numero facile per-  
sequare, connubia proferas, quæ ab iis incommo-  
dis aliena fuerint. non enim iis, quæ raro eueniunt,  
sed iis, quæ semper fiunt, res notandæ sunt. nam  
hæc uirginitati accidere difficile est, uel potius, ut  
ei accidant, fieri nequaquam potest. in coniugio uero  
haud facile est, illa non euenire. quod si in iis rebus;

L V.  
Intolerabile  
malum esse lo-  
cupletiori ui-  
ro nubere.

LVI.  
Nuptam ma-  
gnam doloris  
necessitatem  
habere.

M quæ

quæ secundæ uidentur, tantæ molestiæ, & calamitates existunt: quid in illis fieri dices, quas aduersas esse constat? non enim est uxor de una morte sollicita, quanquam illi semel moriendum est; neque de una anima laborat, licet una prædita sit; sed in timore, & tremore uersatur uiri, liberorum, cognatarum mulierum, seruatorum præterea causa; &, quo radix in plures ramos diffunditur, eo maioribus ipsa curis afficitur. Atque in illis singulis, siue iactura pecuniæ facta sit, siue corpus morbo tentetur, siue quid eiusmodi, quod nolit, acciderit; cædere se ipsa, lamentariq; necesse habet, non secus atque illi, quibus ea acciderunt. quòd si prius, quàm illa, decesserint omnes; intolerabili luctu afficitur. sin autem eorum partim in uita manserint, partim immatura morte obierint: ne sic quidem sincerum quisquam solatium reperire possit. timor enim, quo perterritus eius assidue contremitt animus, non minus ipsam de iis, qui uiuunt, quàm de mortuis, habet sollicitam. quin etiam, quod mirabile dictu sit, necesse est, illorum causa magis angatur. leuatur enim tempore dolor is, quem ex morte alterius ceperis: cura de salute uiuorum uel perpetua sit, oportet, uel tantum morte dimittitur. Sin autem domesticas curas ferre non possumus, ecquam uitam uiuemus, cum alienas calamitates lugere cogamur? Multæ autem per sæpe, claris ortæ parentibus, delicate admodum, ac molliter educatæ, præpotentibus uiris datæ in matrimonium, repente, prius quàm illis connubiis beatæ iudicari possint, casu aliquo, tanquam cõmota procella, aut uento, obruuntur & ipsæ, malorumque naufragii participes fiunt; & quæ, ante quàm nubarent, innumerabilibus

innumerabilibus bonis fruebantur, simul ac connubio iunctæ sunt, in extremam calamitatē incidunt. At hæc, inquires, nec omnibus, nec semper accidere solent. At neque omnes omnium sunt expertes. etenim ego quoque uicissim illud dicam, id in se quosdã expertos esse; quicumque autem rei periculum non fecerunt, eos tamen eiusdem expectatione esse cruciatos. at uirgo tum a re, tum a rei timore libera est. Sed, si placet, illis omissis, ea nunc consideremus, quæ coniugium natura consequuntur, quæq; nemo unquam neque libens, neque inuitus effugerit. quænam autem sunt ista? dolores, & partus, & infantes. Verum potius orationem altius repetamus, & ea, quæ coniugio antecedunt, quoad eius fieri potest, cognoscamus. qui enim in se experiuntur, soli subtiliter ea nouerunt. Instat nubendi dies: itaque continuo uariarum concursus curarum, cui tandem nubat, ne obscuro homini, ne infami cuiquam, ne moroso, ne fraudulento, aut uentoso, aut audaci, ne uxoris causa suspitioso, ne sordido, aut stupido, aut improbo, aut duriori, aut effeminato alicui collocetur. neque enim hæc omnia omnibus accidere necesse est: at omnium cogitatione, ne accidant, laborare, & esse sollicitas, est necesse. atque hæc nondum certo uiro, sed cuius adhuc causa spe suspensus, & incertus animus timet, & horret omnia. ac nihil est horum, de quo nõ illa cogitationem suscipiat. Sin dicat quispiam, hanc ipsam expectatione eorum, quæ his sunt contraria, lætari posse: idem bonorum spem non tantum ad lætitiã, quantum ad tristitiam malorum metum apud nos ualere intelligat. bona enim tantum, cum in spe firma sunt, pariunt uoluptatem: sola malorum suspitio statim con-

M ii fundit,

LVII.  
De iis molestis, quæ in omni coniugio sunt.



fundit, & conturbat animum. ut enim mancipiis incertis cuius sit domino seruiendum, per eam cogitationem quieto animo consistere non licet: sic uirginum mens totum illud tempus ante coniugium instar fluctuantis nauigii iactatur, cum earum quotidie parentes modo hos probent, modo illos reiiciant; & ex procis eum, qui superior heri fuerat, hodie superet alius, & hunc ipsum rursus eiiciat alius. factum est etiam in ipsa quasi ianua nuptiarum, ut is, qui certus esset sponsus, inanibus manibus abiret; illi, qui nulla in spe puellam haberet, eam parentes darent in matrimonium. Non solum autem mulieres, sed uiri etiam grauib; curis exercentur. Sedenim licet his quantumlibet esse curiosis: sed qui fieri potest, ut eius, quæ domo septa perpetuo tenetur, uel mores, uel formam diligenter quisquam possit exquirere? Et hæc quidem de tempore conciliandæ affinitatis. Factis autem sponsalibus, augetur sollicitudo, nec tam uoluptate afficitur, quàm timore; ne forte illo ipso eius diei uespere iniucunda uiro; ne eius expectationem longe fefellisse uideatur. nam quæ placuit initio, si postea displicuerit, ferendum est: quæ uero statim a principio uisa est insuauis, quando in reliquum tempus in admiratione est futura? At ne mihi hoc dixeris: Quid si illa formosa? Ne sic quidem solitudine uacua fuerit. multæ enim ne eximio quidem splendore, & pulchritudine corporis proprios uiros tenere potuerunt; quin etiam se illi, relictis uxoribus, iis mulieribus dederunt, quæ forma, quàm illæ ipsæ, multo inferiores essent. atque huiusmodi soluti cura, rursus alia occupantur. nam eas, quæ de solutione dotis molestiæ suscipiuntur, cum & focer, tanquam si

gratis

gratis filiam collocasset, solutionem sustinet; & sponsus, quo minus omnem urgeat exactionem, dotemque repetat, uerecūdia impeditur; & uxor in dilatione solutionis uiri aspectum ubique magis, quàm ingratus debitor, ueretur, & erubescit; mitto in præsentia. Sedenim, his illa cura liberatis, continuo timor accedit, ne decedant sine filiis. cura præterea procreandæ multitudinis liberorum: quorum etiam si nihil dum perspicuum sit, a principio tamen utraque solitudine perturbantur: et, si uxor facile concipiat, tamen cum timore est coniuncta lætitia; neque quidquam boni est in conubio, quod sit a formidine seiunctum. formido autem ea est, ne quando & per abortum, quod conceptum erat, intereat, & mulier grauida ueniat in extremum uitæ discrimen. quod si longum fuerit interuallum, quasi sit ipsa domina partus, sic hiscere non audet: sub ipsum uero partum laboriosæ illius uterus discerpitur, ac dilaceratur doloribus: qui nimirum soli tantam uim habent, ut obscurant omnia commoda coniugii. Neque hæc satis; sed multis præterea sollicitatur curis. misera enim, & infelix puella, uel tanta illa dolorum acerbitate discruciat, non minore timore torquetur, ne forte pro sano, & integro debilis, & mancus foetus existat, ne tandem pro mare femina in lucem prodeat. etenim ipsas non minus, ac dolor, ea tum sollicitudo conturbat. neque enim in iis tantum, quorum culpam sustinent, uiros metuunt, sed in illis etiam, quorum ipsæ causa non sunt, nihilominus eos extimescunt; ac propriæ salutis curam in tanto periculo abiicientes, uerentur, ne quid uiro, quod nolit, accidat. Accedunt deinde aliæ curæ de salute, & alimentis infantis, qui

tum

tum ex utero elapsus, primam uocem emiserit. et si scitus sit puer, & in eo forte indoles uirtutis eluxerit, rursus in timore sunt parentes, ne quid incommodi accidat filio, ne illi mors instet immatura, ne ad aliquam uitæ prauitatem conuertatur. non enim modo ex improbis probi fiunt, sed etiam mali, prauiq; ex bonis euadunt. et si quid eius generis, quod nolit, euenerit, maiorem habet molestiam, quam si id initio contigisset. quòd si omnia ad uirtutem stabilia fuerint; tamen certe mutationis morum metus semper impendet, qui parentum conturbat animum, & maiorem partem admittit uoluptatis. At non omnibus, qui cōnubio iuncti sunt, liberos habere contingit. Nonne rursus alterum cōfiteris molestiæ argumentum? Cum igitur, siue sint liberi, siue non sint, siue probis illis, siue improbis, uariis tamen curis, atque molestiis occupentur; quid iam est reliqui, quod in cōiugio iucundum appellemus? quòd si rursus coniuges concordissime uixerint; rursum illis timor iniicitur, ne mors dirimat coniunctionis uoluptatem. quanquam non id tantum timore & mali expectatione graue est, sed omnino re ipsa fieri aliquando est necesse. nemo enim probarit, utrunque eodem die moriturum esse: quod cum fieri nequeat, necesse est ei, qui alteri superstes sit, eam uitam agere, quæ morte longe sit acerbior, siue diutius, siue parum diu cum coniuge uixerit. nam quo ille maiorem usum habet, eo maiori dolore afficitur, quòd consuetudo diuturna disjunctionem intolerabilem facit. hic uero, ante quam uim coniunctionis gustare, & ea se possit explere, quòd uigente cupiditate orbatu uxore, maiori in luctu, quam ille alter, uersatur, & tanquam ex contrariis causis

causis parem utrique molestiam trahunt. Quid uero commemoranda sunt, quæ inter illud coniugii tempus molesta acciderunt? diuturnæ peregrinationes? coniunctæ inter eos sollicitudines? morbi? Verum quid hæc, inquit, ad coniugium? immo uero maxime per huiusce rei causam sæpenumero multæ uxores in morbum delapsæ sunt. etenim affectæ contumelia, & ex eo irritatæ, tum iracundia, tum dolore in magnos febris æstus inciderunt. quòd si, præsentibus uiris, nihil illis tale contingit, sed perpetuo facilioribus ipsis utuntur: absentibus tamen, & peregrinantibus, eisdem malis circumferuntur. Sed, ut alia huius generis mittamus omnia, & nihil eorum coniugio tribuamus; ne sic quidem illam inde causam remouere poterimus: quam tandem? quòd ualentem hominem nihilo meliore conditione, quam ægrotum, esse patitur, sed parem ei, atque ægro, dolorem affert. Vis ergo etiam, his omnibus omissis, ea ponamus, quæ iure esse non possunt, concedamusq; coniugium bonis uniuersis refertum esse, multis, & eisdem probis liberis, diuitiis, ut pudica sit uxor, formosa, prudens, ut cum uiro concordissime ad summam uiuat senectutem; accedat eò splendor generis, & magna potentia; neque, quod est commune naturæ, metus ullus earum rerum mutationis eam perturbet, sed omnis causa angoris, omnis curarum, & sollicitudinum occasio inde excludatur, ac nulla omnino causa ne mors quidem immatura coniugium disiungat, sed ut eodem die decedant omnes, uel, quod multo uidetur felicius, superstites sibi relinquât liberos, heredes bonorum, qui parentes ipsos ad extremam eorum senectutem simul afferant; quem tandem finem

LVIII.  
Connubium  
quamuis omnes molestias effugerit, nihil tamen magnum, aut amplum habere.

finem consequentur? aut quid ex tanta illa uoluptate commodi, illuc migraturi secum afferent? multos filios reliquisse, uxorem formosam habuisse, deliciis, aliisque omnibus, quæ modo commemoravi, uitam ad multam ætatem perduxisse. quid id nobis ad illud tribunal in æternis, & ueris rebus prodesse poterit? nihil. an non hæc umbra sunt, atque somnium? Cum enim futuro illo infinito tempore nullum ab eiusmodi rebus fructum percipere, nullum inde solatium habere poterimus; eum, qui illarum rerum particeps, ab iis, qui earundem expertes fuerint, nihil differre fatendum erit. neque enim, si quis mille annorum spatio tantum una nocte boni aliquid in quiete uiderit, meliore illum conditione esse dicemus, quam eum, cui tale uisum non occurrerit. Quanquam non dixi, quod uolebam. non enim tam a ueris rebus somnia superantur, quam hæc terrena ab æternis illis absunt. multo enim hæc magis. neque, quam ad mille annos una nox, eam præfens cum futuro tempore comparationem habet. quin etiam hoc multo est longius interuallum. at non est uirgo eiusmodi; uerum illa multarum mercium referta hinc proficiscitur. sed ab initio potius sermonem considerare mus. Non necesse habet, nimis esse curiosa in cogitatione, & inquisitione uiri: neque ueretur, ne quam sibi is fraudem faciat. Deus enim est, non homo, dominus, non conseruus. et quidem hoc inter sponfos discrimen est. quibus uero coniungantur, animaduerte. Non enim dos huius sponsæ sunt mancipia, non agri iugera, non tot, tantaque aurea talenta, sed cælum, & bona cælestia. Accedit eò, quòd, quæ nupta est, cum aliis de causis mortem reformidat, tum quòd se ab eo seiungat, qui

LIX.  
Facilem esse  
uirginitatem.

quicum matrimonii uinculo coniuncta est. uirgo & exoptat exitum, & uitam sibi grauem esse sentit, quòd uiri os intueri, & eius gloria frui properat. Nam, quòd inopem uitam uiuat, ut iis, quæ nuptæ sunt, id ei nocere non potest. quin etiam, si eam conditionem libenter ferat, sponso sit ob eam causam carior, & iucundior; nec, quòd humilis sit, & abiecta, nec, quòd minus formosa, & pulchra specie, neque omnino ei quidquam huiusmodi detrimento est. quid uero ista dico? etiam si minus forte libera sit, ne id quidem illi ad nuptias impedimentum affert: quin ei satis est animæ pulchritudinem præstare, & principatû adipisci. nullus illic obtretationis metus; nec est, quòd doleat alterius inuidia mulieris, quòd eam uideat clarissimo uiro collocatam. non enim quisquam similis, aut par eius uiri est, neque omnino qui ad eum propius accedat. Nupta uero, etiã si diuitis, & potentis in primis hominis matrimonium teneat, aliam tamen inueniat cum uiro nuptam, qui maiores opes habeat, & copias. non enim parum superiorum præstantia de ea uoluptate detrahitur, quæ ex uictoria de inferioribus percipitur, sed auri, uestium, ac ciborum, aliarumque rerum affluentia, & copia allicere animum, ac trahere facile possunt. Sed quotaquæque mulier his fruitur? maximam enim partem homines inopem, miseram, & laboriosam uitam uiuunt. quòd si quædam sunt illarum rerum participes, pauca admodum sunt, & quas facile numero persequi possis: et quidem illæ id faciunt præter Dei sententiam. nemini enim, quemadmodum supra demonstraui, in his luxuriose uiuere permissum est. Sed concedamus, hæc illis rerum copiam permissam esse, neque prophetam,

LX.  
Virginitatem  
nullius indige  
re earum reru,  
quæ non sunt  
in nostra pote  
state.

LXI.  
Aureum orna  
tum plus timo  
ris habere, quã  
uoluptatis.

N neque

C H R Y S O S T O M I

neque Paulum quidquam statuisse contra delicias uxorū : quid lucri est in multis aureis ornamentis ? nihil aliud omnino , nisi inuidia , nisi curæ , nisi formido non mediocris . neque enim tum , cum ea ornamenta in arca collocarint , neque cum nocte opprimuntur , tantum solitudine commouentur , sed , cum illis luce etiā exornantur , eandem , uel grauiorem potius habent molestiam . etenim in balneis , & in cœtibus præsto sunt mulieres , quæ furta faciunt ; atque , ut illæ non adsint , impelluntur in turba , & urgentur ornataë auro , ut nihil illis sentientibus aureum interdum aliquod ornamentum excidat . itaque multæ non ista modo , sed quæ maioris etiam pretii erant facta ex pretiosis gemmis , auulsa , ac delapsa monilia perdiderunt . Sed fac esse , ut nihil eiusmodi sit timendum , & ut huius rei cura tollatur . Est , inquit , eum aspectum quispiam admiratus . at non eius est admiratio , quæ ornatum gestat , sed ornamentorum , cui sæpe etiam id uitio uersum est , quòd præter dignitatem eum haberet ornatum . nam si formosa fuerit , naturalis nitor offenditur , quòd ille nimius ornatus , maximam partem adimens uenustatis , ipsam formæ ueritatem elucere non finit . si autem deformis illa , turpisq; fuerit , eo turpiorem reddit ornatus . deformitas enim semper , quantacunque est , per se modo eminet , & apparet : cum uero uel gemmarum splendor , uel cuiuspiam alterius rei pulchritudo accessit , tum magis etiam ea turpitude deformatur . nam et corporis nigrorem adhibitū margaritæ lumen multo magis obscurat , tanquam fulgor in tenebris : & uestium decor tum prauitatem oris longe deteriore facit ; quippe qui formæ speciem ex se considerari , & solam in existimatorū iudicium

LXII.  
Aurea ornamentum  
& formæ  
nocere , & au-  
gere deformi-  
tatem .

D E V I R G I N I T A T E . 50

iudicium uenire non finit , sed adiuncto illo manu , & opere facto , eximiāq; pulchritudinis ornamento . qua ex re grauior calamitas accipitur , quòd in comparatione maior eius deformitas apparet . nam & uestimenta distincta auro , & quæ artificio eius generis fiunt , operum magna uarietas , & reliquus omnis ornatus , tanquam si generosus ualens , & robustus athleta scabiosum , infamem , & enectum fame aliquem prostrauerit aduersarium , sic oris decus obruens ornataë mulieris , ad intuendum spectatores allicit , ut mulierem magis rideant , ornatum incredibiliter mirentur . At nullum eiusmodi est uirginitatis ornamentum . non enim ornataë uirgini nocet , quippe qui non est corporis ornatus , sed totus ad animam pertinet . quamobrem etiam , siue deformis sit , formæ dignitas undique adhibita deformitatem facile tollit : siue liberali , & egregia forma , pulchriorem reddit . non enim gemmæ , aut aurum , non uestium sumptus , non colorum illic uarietas , ac differentia , non omnino aliud eius generis , quod fragile , aut caducum sit , est animarum ornamentum ; sed eorum loco ieiunia , nocturnæ sacrorum peruigilationes , modestia , comitas , paupertas , fortitudo , summissio animi , temperantia , & omnino omnium humanarum rerum despicientia . etenim eius oculus ita pulcher est , ita uenustus , ut pro hominibus beatas mentes , & earum Dominum habeat amatorem . sic autem purus , & acutus , ut pro corporeis rebus species corporis expertes intueri queat : adeo mitis , & placidus , ut ne in eos quidem , qui assidue iniuriam , & molestiam afferant , conturbetur , aut efferatur . quin etiam iucunde in eos , ac suauiter intuetur . tanta autem uirgo hæc grauitate

LXIII.  
Qui sit uirginitatis  
ornatus , quæ ue-  
pulchritudo .

N ii cir-

CHRYSOSTOMI

circumfluit, ut uel intemperantes, cum ipsam diligenter aspexerint, pudore erubescant, & proprium furorem remittant. ac, quemadmodum honestæ mulieris ministram, & famulam uel inuitam dominæ mores, & uitam imitari oportet: sic animæ, quæ tali sapientia prædita sit, sensus inferuire necesse habet, & omnes suas appetitiones regere illius ratione motionum. Etenim oculus, lingua, habitus, ingressus, & omnino omnia ad intimum animæ ordinem conformantur. &, ut unguentum pretiosum, etiam si in uas infundatur, aera tamen suaui odore permulcet, neque eos solum, qui intra eum locum sunt, aut eius loci uicinos, sed omnes, qui foris commorantur, uoluptate perfundit: sic uirginitas animæ, quasi iucundus odor sensibus circumfusus, interiorum uirtutem ostendit. appetitus uero regit sic, ut illis singulis, quasi equis quibusdam, iniiciens aurea fræna modestiæ, eos in summa moderatione retineat. nihil enim neque linguam absconum, aut absurdum effutire, neque oculum impudenter, aut suspiciosè intueri patitur, neque omnino auribus quidquam, quod minus deceat, percipi finit. De membris autem, & pedibus curæ est illi, ne dissolutus, aut mollis sit incessus, sed ut simpliciter quodam modo, & sine cura moueantur. atque, omni uestium ornatu circumciso, os assidue moderatur, ne solutior risus erumpat; immo uero, ne leniter arrideat: quin graue semper, & austerum ostendit supercilium: atque ita comparata est, ut lacrymas semper effundere, risum nunquam edere possit. Cum uero de lacrymis acceperis, nihil triste suspiceris: tantum enim illæ lacrymæ uoluptatis habent, quantam mundi huius risus non habet. quod si non credis,

LXIII.  
Quæ propter Christum patimur, etiam si molesta sint, tamen uoluptatem habere.

DE VIRGINITATE. 51

credis, accipe apud Lucam quæ dicantur. Cum flagellis cæsi fuissent, ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii. quanquam non ea uis inest in uerberibus; nõ enim uoluptatem, aut lætitiã, sed dolorem, & molestiam efficere solent. Fides autem in Christum eam uim habet, ut ipsam etiam rerum naturam superet. quod si uerbera, Christi causa suscepta, pariunt iucunditatem: quid mirum sit, si propter illum ipsum idem est effectus lacrymarum? ob hanc igitur causam, quam arctam, & angustam uiam uocauit, eam deinde suaue iugum, & leue onus appellat. natura enim res est, ut ante dixi, sed proposito, speq; bona eorum, qui in illa perfecte uersantur, leuior efficitur. itaque illos, qui non latas, & amplas uias, sed arctam, & angustam semitam sibi delegerunt, alacrius multo properare uideas. non quia non habeant molestiam; sed quod fortiores sunt, quàm ut quidquam eiusmodi detrimenti accipiant, cuiusmodi alios perferre credibile est. Sunt uero etiam angores in hoc uitæ genere: sed si cum coniugio conferantur omnia, non erit, quod illos angores appellemus. Sed, quæso, quid tale patitur uirgo toto uitæ tempore, quale in singulos ferme annos nupta, partus doloribus, & fletibus exercita perferre cogitur? tanta uero est eius doloris uis, ut in diuinis litteris seruitus, fames, pestis, atque alia huius generis intolerabilia mala hoc ipso doloris nomine significantur. Deus quidem id mulieri ad poenam, & ad execrationem dedit, non iam ut pareret, sed ut cum labore, ac dolore pareret. In dolore, inquit, paries filios. a quibus uirgo tum doloribus, tum execrationibus libera est. Nam qui eam a connubii detestatione liberauit, eorum etiam, quæ cõnubium conse-

Act. 5.

Matth. 11.

LXV.  
Quæ ex uirginitate laboriosa sunt, cum doloribus connubii conferenda non esse.

C H R Y S O S T O M I

LXVI.  
Iucundius esse  
pedibus ire,  
quàm mulis  
circumuehi.

consequuntur, expertem esse uoluit. Sed mulis in foro circumuehi iucundum est. inanis tantum superbiam est, nihil præterea uoluptatis habet ea circumuectio. et quemadmodum neque tenebræ sunt luce potiores: neque constrictum, quàm solutum esse præstat: neque multis est melius, quàm nulla omnino re indigere: sic neque hæc mulis uectæ meliori loco fuerit, quàm quæ pedibus iter facit. Sed omitto nunc molestias, quas ex iis rebus perferre est necesse. neque enim, quotiens uult, totiens ei domo egredi licet: quin etiam sæpenu-mero, cum, ut inde exeat, magna aliqua flagitat utilitas, tanquam mendici, qui pedibus abscissis, quò uehantur, non habent: sic illa domi manere cogitur. quòd si uir forte mulos occuparit; deiectio animi, contentio, & magnum silentium consequitur. Sin uero ipsa nihil in posterum prospiciens, id ipsum effecerit; relicto uiro, in se conuertit iram eiusce rei, eandem se affido dolore conficiens. quanto igitur præstat, pedum officio fungentem (ad id enim nobis illos Deus affixit) nullam eiusmodi molestiam subire, quàm per eas delicias necessario totiens angi, frangiq; animo? Neque uero solum eas, quas dixi, causas habent domesticæ commorationis, sed tum etiam, cum ambo muli, alter ue forte laborat ex pedibus, idem illis accidit. Cũ uero fit, ut agantur in pascua, (fit autẽ id quotãnis) multosq; dies ibi pascantur: rursus uel si necessaria aliqua, ut inde exeat, causa postulat, tanquam si constricta sit, ita domi se tenere necesse habet. Quòd si dixerit quispiã, sic a multitudine occurrentium esse liberam, nullumq; a notis hominibus fieri conspectum, in quo erubescat: is mihi sane uideatur ignorare, quæ mulieri natura & adimant,

D E V I R G I N I T A T E . 52

adimant, & afferant infamiam. nã siue in aperto, siue in operto sit, neutrum horũ efficitur: sed alterum facit intemperantis animi petulantia, alterũ continentia, & uerecundia. quamobrem multæ illo carcere liberæ uel in media multitudine, & foro euntes, non modo non accersunt uituperatores; sed suæ continentiam multos tum corporis habitu, tum incessu, tum uestitus simplicitate amatores habent. quas ob res in illis intimæ pulchritudinis splendor elucet. At non paucae sunt, quæ se domesticis parietibus continentes, infamiam contraxerunt. nam ei, quæ clausa sit, si modo id cupit, maior, quàm illis, quæ in publicum prodeunt, petulantius, impudentiusq; iis, qui intueri uolunt, ostentandi sui facultas est. Verum ancillarum multitudo forte iucunda est? nihil igitur est hac uoluptate deterius. nam quot illæ sunt, totidem curis afficitur. singulis enim tum ægrotantibus, tum morientibus perturbari, atque angine necesse est. Sed hoc fortasse, & his etiam grauiora tolerabilia sunt, ut quotidianæ illæ, & uehementes contentiones, dum in ancillarum pigritiam inuehitur, dum fraudem perfringit, dum ingrati animi uitia tollit, dum reliquam omnino uitiositatem coercet. at id omnium grauius est, quod in huiusmodi ancillarum turba maxime solet usu uenire: cum una aliqua forte in illo grege famularum forma liberali, (id enim omnino in multitudine accidere necesse est: nam copiosi homines non id modo student, ut multas habeant ancillas, sed ut æque formosas) cum igitur contingit unam aliquam in illis forma reliquis antecellere, siue ea dominum specie, & uenustate ad sui amorẽ attraxerit, siue nihil aliud potuerit, nisi quòd in sui admirationẽ adduxerit; uicta domina

LVII.  
Famularũ mul-  
titudine m ha-  
bere molestiã.

CHRYSOSTOMI

domina pari in dolore uersatur, si minus ob eā causam, quòd uir ancillæ cupiditate teneatur, certe ob eiusdē corporis pulchritudinem, & admirationem. Cum igitur, quæ per se præclara uidentur, & expetenda, tantas habeant sollicitudines; quid de iis dicas, quæ molesta, & acerba sunt? At nihil tale patitur uirgo. nam ipsius domus ab omni perturbatione libera est. et omnis inde remotus clamor, ac uelut in pleno tranquillitatis portu apud eam cuncta silentio continentur; ac silentio maior requies altera, qua præditus animus, tanquam nullam agens humani muneris partem, assidue cū Deo colloquitur, & illum intentius intuetur. Quare quis eā uoluptatem, quanti est, queat æstimare? aut cuius oratio eius animæ, quæ sic affecta sit, oblectationem possit exprimere? nullius utique. at eius uim uoluptatis tantum illi nouerunt, qui se oblectant cum Domino; tantoq; ipsam præstare intelligunt, ut cum nulla alia iucunditate comparari possit. At multi undique aspectus argenti ualde delectat oculos. at quanto melius est in cælum suspicere, & multo maiorem inde uoluptatis fructum percipere? quanto enim aurum stanno, atque plumbo, tanto cælum est auro, & argento, omnique materie splendidius, atque fulgentius. Et quidem hæc cæli contemplatio a curis libera est: illud uero spectaculum cum summa sollicitudine coniunctum, quod ex omni parte cupiditates maxime corrumpit. At tibi non libet intueri cælum; licet uero argentum spectare in foro collocatum. quæ ex diui Pauli sententia dico, ut uos pudeat, quando sic inhiatis pecuniæ cupiditati. At, quid dicam, nescio. magna enim hic mihi accidit dubitatio; neque dispicio, quamobrē omne fere hominū genus,

LXVIII.  
De quiete, ac tranquillitate, quæ uirginitati inest.

DE VIRGINITATE. 53

genus, cum illis facilem, & iucundam uitam ducere liceat, uel sollicita, & anxia maxime capiatur. Quid autem causæ est, quòd non tam eos in foro positum, quàm quod domi habent, argentum delectat? atqui splendidius illud est, & ab omni cura uacuum animum relinquit. quòd, inquit, forense illud meum non est, domesticum uero hoc propriū meum. Cupiditas ergo est, non argenti natura, quæ uoluptatem habet: nam si id ita sit, forensi etiam illo æque delectari oportuit. Quòd si usus causa ista dicis: utrum est multo melius; idq; e diuitum sententia, qui sibi maiorem partem ex ea materie pocula comparant. Sin uero elati superbia, illa ipsa ex argento facere cogantur: primum intus uitro conflato, sic illud argento circundant poculum, ut uitrum interius positum ad potionis suauitatem, & commoditatem, circundatum uero argentum ad ostentationem tantum, ac superbiam esse ostendant. Sed quænam est rei summa? meum & non meum: quæ cum diligentius considero, uerba tantū inania esse uideo. sunt enim multi, qui uel in uita deserentē se possessionem retinere non possunt. quòd si qui usque ad mortē illa seruarint, ipsis tamen, uelint, nolint, morte exturbabuntur. neque modo in argēto, & auro, sed in balneis, & in hortis, ædibusq; meum illud, & non meū, uerba solum esse omnes intelligant. nam eorum usus est cōmunis omnium. qui uero rerum illarum domini uidentur, plus inde, quàm qui non sunt, habent molestiarum: bonis enim modo fruuntur alii; hi uero cum summa earum rerum cura tantundem inde capiunt, quantum ceteri sine ulla sollicitudine. Quòd si quispiam magnam luxuriam admitteretur, ueluti dissectæ carnis uim, superuacaneum uini  
O sumptum,

LXIX.  
Sumptuosas mensas magnarum molestiarum refertas esse.

sumptum, exquisitas ciborum delicias, eorum, qui conuiuia instruunt, pistorum, coquorum artificia, parasitorum, & conuiuarum turbam; sciat is, copiosos homines in iis rebus non esse meliore conditione, quam coquos ipsos. nam ut illi dominos, sic hi uerentur eos, quos inuitarunt, ne quid uidelicet eorum improbent, quæ magno labore, ac sumptu ipsorum causa apparauerunt. & hac quidem re cum seruis pares sunt; reliquis uero superant illi. non enim accusatores modo, sed inuidos etiam extimescunt. nam sæpe ab huiusmodi conuiuiis multæ ortæ inuidendi causæ, non prius sublatae sunt, quam illos homines in extremum discrimen adduxerint. At multum cibi capere sæpenumero iucundum est. minime uero. etenim tum, cum ebrietates, & uentris intentiones, & spiritus angustia, & tenebræ, & uertigines, & oculorum caligo, & alia his etiam grauiora mala ab huiusmodi luxuria progignuntur, quam inde capiemus uoluptatem? Atque utinam hic in singulos dies finis sit molestiarum, turpitudinis, & incommodorum. nunc uero maxime ab istis mensis morbi insanabiles ortum habent. nam & pedum dolores, & tabes, & facer morbus, & dissolutiones neruorum, & conuulsio corpus obsessum tenent, dum extremum spiritum reddas. quis igitur hæc mala ulla harum rerum uoluptate compensari posse dixerit? At non est frugalitas eiusmodi. quin ea longe abest ab his incommodis, sanitatis, & bonæ ualitudinis effectrix, quam potiore esse reperies, quam luxuriam. Ac primum quidem ipsa tenuitas uictus ualitudinem tuetur, neque ullis ex illis malis perturbatur: quorum per se singula omnem extinguere uoluptatem, ac tollere funditus possunt. deinde  
cibis

LXX.  
Et utilius, &  
iucundius esse  
sobrie, quam  
luxuriose ui-  
uere.

cibis ipsis comprobatur. quo modo? quia cibi auiditas est efficiens uoluptatis; auiditatem uero non expletio, aut satietas gignit, sed inopia, et indigentia. at hæc in illis copiosorum conuiuiis non sunt, inopum uero cibis semper adsunt: quæ plus illis suauitatis instillant, quam menfarum conditores, aut coci propositis epulis aspergere soleant. diuites enim neque exurientes cibum capiunt, nec bibunt sitientes; ac, priusquam somni uis illis dormiendi necessitatem afferat, cubitum eunt: hi uero prius horum omnium indigentes, sic illis utuntur: quod quidem est ad uoluptatem maximum. quid enim, quæso, Salomon hisce uerbis serui somnū iucundum appellat? Dulcis est somnus seruo, siue is parum, siue multum comedet. num propter lectum molliter stratum? atqui sternuntur humi, uel super paleas maiorem partem. an propter libertatem? at ne temporis quidē punctum illis liberum est. an propter otium? at laboribus, & ærumnis conficiuntur assidue. Quid tandem igitur illud est, quod somnum suauem efficiat? labores, & quod coacti prius necessitate, sic illi somno se dedunt. diuites uero, nisi eos uino plenos nox oppresserit, noctem peruigilare, & in mollibus lectis uersare se in omnes partes, & iactari coguntur. Possum & alia ratione delicatarum conuiuiorum molestiam, incommoda, ac turpitudinem commemorare persequendis iis malis, quæ longe plura, & grauiora, quam sint corporis morbi, animis inurunt. Etenim & molles, & effeminatos, & audaces, & uentosos, & intemperantes, & contumeliosos, & procaces, & iracundos, & crudeles, & ignauos, & auaros, & sordidos, & omnino tales homines reddunt, ut neque utilibus, neque necessariis  
O ii cessariis

Eccle. 5

LXXI.  
Animam etiā  
lædi luxuria.



cessariis rebus gerendis sint accommodati . quibus contraria omnia frugalitas efficit . Verum ad alia nostra festinat oratio . Quamobrem , illo tantum addito, Apostoli uerba rursus attingemus . Nam si quæ uidentur expetenda , tantorum malorum referta sunt , tantamq; quasi niuium, sic morborum uim important & animo , & corpori , quo loco, quæ sunt molesta, dominorum terrores, populorum impetus, calumniatorum, & inuidorum insidias reponemus? Hæc enim diuites maxime circumstant; in quibus mulieres, quòd eiusmodi commutationes fortiter ferre non possunt, plus etiam mali habere necesse sit. Quid dico mulieres? etenim huiusmodi rebus uiri ipsi misere capiuntur. nam qui sobrie uiuit, nullum casum extimescit; qui uero mollis illius, & profusæ uitæ sumptibus exahustus est, si quando casu, uel ui aliqua ad inopiam compulsus fuerit, quod nihil antea tale cogitarat, expertus ue fuerat, morietur potius, quàm eam mutationem perferat. itaque diuus Paulus, Tribulationem, inquit, carnis habebunt huiusmodi: ego autem uobis parco. Atque illud idem adiungit, Tempus breue reliquum est. Sed dicet fortasse quispiã, Quid ista ad coniugiũ? Immo uero ad ipsum maxime pertinet. si enim huius uitæ finibus terminatur matrimoniũ, & ubi e uita migrarint, neque nubent, neque uxorem ducent, & hoc tempus ad finẽ properat, & dies resurrectionis in limine adest, non est nuptiarum tempus, aut copiarum, sed inopiæ, & totius eius cogitationis, ac rationis, quæ nobis illic profutura sit. nam quemadmodum uirgo, quàm diu domi est apud matrem, uersatur in magna cura rerum omnium pueriliũ, & arcula in cubiculo collocata, iisq; obsignatis, quæ sunt

LXXII.  
Luxuriam præter alia mala, intolerabiles præterea uitæ commutationes afferre.

1. Cor. 7.

LXXIII.  
Præsens hoc tempus non esse coniugii.

sunt ibi recondita, clauem seruat ipsa, & omnem earum rerum potestatem habet, tantamq; suscipit parua illa, & uilia custodiendi curam, quantam illi habere solent, qui maximas familias administrant; cum uero nubilis est, ac nupta iam e paterna domo cogitur discedere, tum ab illa tenuitate, & humilitate liberata, rerum, mancipiorumq; multitudinis, uiri curam, aliaq; his multo maiora suscipere necesse habet: sic nos etiam facere oportet; ut, cum ad perfectam uitam, & uiro dignam perducti simus, relictis in terris ludis omnino omnibus puerilibus, de cælo, de cælestis illius consuetudinis splendore, deq; omni gloria cogitemus. desponsi enim sumus & nos uiro, qui eo nos in se amore esse uult, ut non modo terrena, & parua hæc, leuiaq; relinquamus, sed e uita etiam, si opus fuerit, eius causa discedamus. Quare cum illud reliquum sit, ut eò nos uenire oporteat, curarum leuitatem dimittamus. neque enim ex tenui domo migraturi in Regiam, de testis, ac lignis, deq; supellectile, ac reliqua domestica tenuitate laborabimus. Ne igitur nos, ne inquam iam terrena curemus. dies enim iam nos uocat ad cælum, quemadmodum diuus Paulus scripsit ad Romanos. Nunc enim propior est nostra salus, quàm cum credidimus: nox præcessit, dies appropinquauit. & iterum is, Tempus breue reliquum est, ut & qui habent uxores, sint tanquam non habentes. Quid igitur iis coniugio opus est, quibus frui non liceat? uel quos potius æque affectos esse oporteat, atque eos, qui coniugia non attigerunt. Quid pecunia nobis? quid possessiones opus sunt? quid, quæ ad uitam pertinent, si inopportunos est, & intempestius earum rerum usus? nam si, qui ad iudicium

Rom. 13.

1. Cor. 7.

cium in terris sunt affuturi, ut suorum delictorum rationem reddant sub ipsam iudicio dictam diē, omni non solum uxoris, sed cibi, & potus cura dimissa, unum illud cogitant, quo modo se tueri possint: multo magis nos, qui non ad terrenum aliquod iudicium, sed ad caeleste tribunal affuturi sumus, ut singulorum & dictorum, & factorum, & cogitationum rationem reddamus, ab omni terrestrium rerum tum lætitia, tum tristitia abstinere oportet, & formidolosum illum diem modo cogitatione complecti. Nam si quis, inquit, uenit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc & animam suam; non potest meus esse discipulus: & qui non tollit crucem suam, & uenit post me, non potest meus esse discipulus. Tu mulierum libidinibus, risui, conuiuuiis intemperanter indulges? at Dominus adest. Tu pecuniam curas, deq; illa sollicitus es? at caeleste regnum impendet. Tu de familia, de luxu, de aliis uoluptatibus cogitas? at præterit figura mundi huius. Quid igitur est, quamobrem te conficias cura terrenarum rerum, quæ & inanes, neque stabiles sunt; ea negligas, quæ & sunt, & eorum est firma possessio? Non est postea coniugium, non dolores, aut uoluptates, non corporum coniunctio, non pecuniæ copia, non cura possessionum, non commeatus, non uestes, non agricultura, neque nauigatio, non artes, neque ædificia; non oppida, non domus; sed alia rerum conditio, aliud uiuendi institutum. Hæc autem mox interibunt omnia. nam eam uim habet id, quod dictum est, Præterit figura mundi huius. Quid igitur, tanquam omnium hic sæculorum ætates uicturi, studium omne præ nobis ferimus

mus

Luc. 14.

1. Cor. 7

mus, eam rerum curam suscipientes, quas ante uesperum plerunque deserimus? quid laboriosam uitam deligimus, si nos ad tranquillitatem Christus inuitat? Volo enim, inquit, uos sine sollicitudine esse. qui sine uxore est, sollicitus est de iis, quæ Domini sunt. Sed quo modo nos cura uacuos esse uis, si nouam rursus nobis iniicis sollicitudinem? quia non est ista sollicitudo; quemadmodum etiam, in angore esse Christi causa, non est angere; non quo rerum natura commutetur; sed eorum proposito, qui talia libenter ferunt, & rerum uim superant. nam qui de illis rebus laborat, quibus ad exiguum tempus, aut sæpe ne ad exiguum quidem fruetur, recte is dicatur esse sollicitus. qui uero maiores, quam illæ sint curæ, fructus inde est percepturus, cum iis, qui sine cura sunt, iure omnino numerandus est. Adde etiam, quod tantum inter utranque sollicitudinem interuallum est interiectum, ut hæc cum illa comparata, sollicitudo putanda non sit: usque eò tum expeditior, tum facilius est. Atque hæc omnia iis, quæ ante dicta sunt, demonstraui; qui sine uxore sit, eum de iis sollicitum esse, quæ Domini sunt; qui autem sit cum uxore, de iis, quæ sunt mundi. At hic præterit, ille permanet. itaque non est hoc satis, ad uirginitatis dignitatem demonstrandam: quantum enim inter Deum differt, & mundum, tantum inter eas curas, quæ de utroque suscipiuntur, interest. Quid igitur est, quod nobis concedis coniugium, cuius causa & astringimur curis, & a spiritualibus rebus abducimur? Propterea dixi, inquit, ut, qui habent uxores, sint tanquam non habentes, ut, qui matrimonio iuncti uel sint, uel futuri sint, nodum illum alia quadam ratione laxiorem faciant.

1. Cor. 7.

LXXIII.  
Quid sit, quamobrem, cum uelit nos sine sollicitudine esse, iubeat esse sollicitos.

faciant. cum enim semel constricto tibi uincula rumpe-  
re non liceat, mollioribus illis utere. possumus enim,  
si uolumus, & omnia, quæ superuacanea sunt, circum-  
cidere, & iis curis, quas coniugii natura parere solet,  
nostram segnitiam non adiungere. Quòd si quis, quid  
tandem sit, habentem uxorem, non habere, liquidius  
cupit intelligere, animaduertat, quo modo cum illis  
agatur, qui cupiditates suas cruci affixerunt. Quo mo-  
do autem cum illis agitur? non ancillarum multitudi-  
nem emere coguntur, non aurea ornamenta, non mo-  
nilia, non luculentas, & amplas domos, non agri infi-  
nita iugera; sed, iis omissis omnibus, de uno earum  
uestitu, & uictu laborant. licet etiam uiro uxorem in  
hanc uitæ rationem inducere. nam, quod supra dictum  
est, Nolite fraudare uos inuicem, tantum ad corporū  
coniunctionem pertinet. in iis enim, ut uterque alteri  
obsequatur, imperat, ac neutrum sui iuris esse finit. ubi  
uero colendum sit aliud uitæ institutum in uestitu, in  
uictu, in aliis omnibus, non, quod alter facit, item al-  
teri præstandum est. Atqui uiris ad suum arbitrium,  
uel inuita uxore, omnem luxuriam, concursumq; cir-  
cumfluentium curarum circumcidere licet. nulla item  
uxori, si nolit, necessitas imponitur ornatus, inanis  
gloriæ, nulla superuacaneorum rerum cura. iure id qui-  
dem. est enim ille naturalis quidam appetitus; & pro-  
pterea magna in eo ad ignoscendum uenia dari solet.  
neque alterum inuitum fraudare alterutri liberum est.  
deliciarum uero, ac superuacanei cultus, insanæq; co-  
gitationis cupiditas minime a natura cōmouetur, sed a  
desidia, summaq; nequitia ortum habet. Quamobrem  
nullā in his rebus, id quod in illis uim affert cōiugibus,  
uti

LXXV.  
Quid sit habē-  
tem uxorem  
non habere.

uti inter se necessaria seruitute obstringantur. itaque  
hoc illud est, quod dixit, eum, qui haberet uxorem,  
non habere, cum superuacaneas curas a nequitia, de-  
liciisq; ortas, uxorum causa non suscipimus, sed tan-  
tam earum accessionem facimus, quantam in unius ani-  
mæ nobiscum coniunctione, & eius, quæ sobrie, con-  
tinenterq; uiuendi rationem delegerit, nos facere par  
est. Hanc enim esse Pauli sententiam, id ipse ordine  
orationis ostendit, Et qui flent tanquam non flentes,  
& qui facultatibus gaudent, tanquam non gaudentes.  
nam qui non gaudent, neque de rerum possessione la-  
borabunt. & qui non flent, neque inopiam horrere  
possunt, neque ab eo, quod ad uitam traducendam sa-  
tis sit, abhorrere. hæc est uis illorum uerborum, Habe-  
re uxorem, & non habere, mundo usum, & non abu-  
sum esse. qui autem ducit uxorem, est de terrenis rebus  
solicitus. Cum igitur utraque conditio sollicitudinem  
habeat, & hæc quidem temere, ac sine causa, quinetiā  
ea cum dolore coniuncta sit: Carnis enim, inquit, tribu-  
lationem habebunt eiusmodi; illa uero in bonorum in-  
explicabilium cogitatione uersetur, quid est, quòd  
hanc potius curam, quæ tot, tantisq; bonis compensa-  
tur, & est natura, quàm illa facilior, non deligimus?  
Qua enim sollicitudine, quæ non nupsit, afficitur? num  
pecuniæ? num seruorum? aut eorum, qui domesticas  
res tuentur? aut agrorum? aut aliarum rerum? an co-  
cis præest, aut textoribus, aut reliquo seruitio? minime  
uero, nihil eiusmodi cogitat: sed tantum id curat, quo  
modo animam suam instruere, quomodo sanctum il-  
lud templum exornare possit; non iam capillis intexen-  
dis auro, uel margaritis, non frictionibus, aut pigmētis,

P non

non alio incommodorum, aut nequitiae genere, sed tum corporis, tum spiritus sanctitate. Nupta uero cogitat, inquit, quomodo uiro placeat. in quo sapienter admodum non est aggressus earum rerum inuestigationem: neque illud commemorauit, quam multa in studio ineundae a uiris gratiae uxores & corpore, & animo patiantur, dum illud torquent, oblinunt, aliis malis conficiunt; hunc illiberalitate complent, assentatione, simulatione, summissione, superuacaneis, & insanis curis. Sed haec omnia, unius uerbi subobscura significatione inuoluta, auditori intelligenti relinquit aestimanda. atque ita praestantiam uirginitatis ostendens, & eam ad caelum ipsum extollens, ueritus omnino, ne quis illud iussum existimet, rursus ad id transfert orationem, ut concedat coniugium. quamobrem non est priori cohortatione contentus, sed, Praeceptum, inquit, Domini non habeo; &, Si nupserit uirgo, non peccauit; hoc loco etiam, Haec autem dico, non ut laqueum uobis iniiciam. Quamobrem aliquis illud iure quaesierit, quid sit, quod, cum uinculorum solutionem superius appellasset, & eam se nobis utilitatis nostrae causa suadere dixisset, & ne molestiam haberemus, & ut essemus sine solitudine; cumque nobis pepercisset, & per ea omnia expeditam, tolerabilemque rem ipsam ostendisset, nunc illud adiiciat, Non ut uobis laqueum iniiciam? quid autem id est? num uirginitatem laqueum appellauit? minime. sed uirginitatis cultum ui, & necessitate susceptum. Etenim res se sic habet: quod quisque coactus onus suscipit, & contra suam uoluntatem, quamuis id leue sit, omnium fit grauissimum, & pressu grauiore, quam laqueus faceret, nostram suffocat animam. itaque illud

LXXVI.  
Virginitatem non esse laqueum, sed nostram id esse desiderium.

illud dixit, Non ut laqueum uobis iniiciam. quod haec uim habet: Ego bona uirginitatis enumeravi, ac demonstraui omnia: quae licet ita sint, uolo tamen, totum uti uestrum rei sit arbitrium: non inuitos traho ad uirtutis studium: neque enim, uti uos excrucialem, id consilii dedi, sed ne terrenarum rerum cura honesta assiduitas interpelletur. Verum hic, quaeso, Pauli prudentiam considera; quo modo rursus indulgentiae subiiciat admonitionem, & consilium adiungat. nam quod inquit, Non cogo, sed suadeo; quod praeterea addit ad id, quod honestum est, & quod facultatem praebet sine impedimento Dominum obsecrandi, eo & uirginalis castitatis admirabilitatem, & quantum ex ea uitae ratione fructum caperemus, ostendit, quae in rerum diuinarum meditatione uersetur. neque enim, quae terrenis, & unde quaque distrahentibus curis implicata est, propter omnem & studii, & temporis rationem in tam multas res distributam, ueluti in uiri, & in familiae curam, aliorumque omnium, quae coniugium contrahere solet, rite, continenterque Deo preces facere solet. Quid igitur? inquit, uirgo multa pertractans, & iis, quae ad uitam pertinent, distenta curis, quaero, an uirginitatis laudem retineat? minime. nam istam ab harum uirginum choro exclusisti. neque enim illud, Non nupsisse, uirginem constituit; sed ad id praeterea opus est animae integritas, integritas, inquam, ea, quae non solum prauis, ac turpibus uoluptatibus, ornatu corporis, reliquisque rebus superuacaneis uacua sit, sed terrenis etiam curis libera. nam nisi ea sit, quid illi profit castitas corporis? quanti enim est, uirginem corpore puram esse? ut enim eo milite nil turpius esse

LXXVII.  
Mulierem, quae de terrenis rebus sollicita sit, uirginem non esse.

queat, qui, abiectis armis, in caupona conterit otium: sic nullū uirgo maius dedecus cōcipere potest, quā si terrenis curis incubuerit. etenim quinque illæ & lāpades habebant, & uirginitatem coluerant: at neutrū eis profuit, sed, clausis ianuis, exclusæ perierunt. Etenim propterea uirginitas etiam bonum est, quòd omnem extirpat ex animo causam inanium curarum, & hominem inducit, ut totum dicet studium suum diuinis operibus. quòd si non ita sit affecta uirgo, longe ea sit nuptis inferior; quippe quæ spinas circumfert in animo, quibus purum, ac cæleste semen opprimitur. Si quis autem, inquit, turpem se uideri existimat super uirgine sua, quòd sit superadulta; & ita oportet fieri: quod uult, faciat: non peccat, nubant. quid dicis, quod lubet, faciat? nec rationem dirigis deprauatam? sed concedis coniugium? quid est, quòd non dixisti: si quis uirginis suæ causa de se male existimari putat, miser est, & infelix, qui rem adeo admirabilem turpissimam credat? quid non hominem ab eiusmodi suspitione liberasti, & ei fuisti auctor, ut filiā connubio arceret? quòd inquit, infirmæ admodum erant huiusmodi animæ, & humi defixæ; quæ sic affectæ, ad uirginitatis rationem statim compelli non possent. qui enim usque eò incubat terrenis rebus, & hanc uitam admiratur, ut, quod cælo dignum est, & prope accedit ad institutum angelorum, post tantam cohortationē id probrosum putet; quo modo consiliū, quod eò impelleret, tulisset? Quid uero mirum, id Paulum in re concessa fecisse, siquidē in uetito, & in eo, quod contra legem est, rursus id facit? exempli causa, in cibus nimis esse religiosum, & hoc maximum statuere, illud eiicere, Iudaicæ erat infirmitatis:

I. XXV I I I.  
 Quid sit, quòd uehementius non accuset eum, qui super uirgine sua turpem se uideri existimet.  
 1. Cor. 7.

infirmitatis. Veruntamen in hominibus Romanis quibusdā eadē erat infirmitas: quos nō modo uehementius nō accusauit, sed etiā aliud quiddam eo maius adhibuit. nā, iis dimissis, qui peccassent, eos, qui illa prohibere conantur, hisce uerbis obiurgat: Tu autē quid iudicās fratrem tuū? At non id egit cū ad Colossenses scriberet, sed & magna auctoritate illos reprehendit, & ita apud eosdē philosophatur; Nemo uos in potu, & cibo iudicet. & rursus, Si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam uiuentes in hoc mundo decernitis? ne tetigeris, neque gustaueris, neque contrectaueris. quæ sunt omnia in interitu ipso usu. Quidnam igitur tandem id facit? quòd illi ualentes erant; Romanis autem magna præterea opus erat indulgentia. nam expectauit, dum fides prius hæreret in eorum animis, ueritus, ne, si citius, quā rei tempus, aut maturitas uenisset, ad zizaniæ fibras euellendas accessisset, salutaris disciplinæ semina una cum radicibus extirparet. Quamobrem neque eos accusat acerbis, neque sine obiurgatione dimittit, tantum perstringit, sed obscure, & ut nullam res habeat suspitionē reprehensionis, quam cum aliorum obiurgatione coniungit. Illud enim, Domino suo stat, aut cadit, reprimere quidem uidetur obiurgatorem: re autem huius pungit animum, ostendens eiusmodi institutum non esse firorum, aut stabilium hominum, sed eorum, qui iactantur adhuc, & inconstantes in periculo ruinæ uersantur. quam hic etiam consuetudinem seruat propter summam eius infirmitatem, quem rei pudet; nō enim in ipsum aperte inuehitur, sed illo laudando, qui suam seruet uirginem, grauem eidem ipsi plagam infligit. quid

Rom. 14.

Colos. 2.

quid enim inquit is? Nā qui statuit in corde suo: quod quidem ad eius differentiam dictum est, qui cito, & facile in hanc, & in illam partem rapitur, uestigiumq; firme usquam imprimere, & constanter admodum stare nescit. quæ cum deinde uerba ad illius laceffendum animum satis ponderis habere intelligeret, uide, quo modo rursus afferenda causa, non ita reprehensione digna id ipsum obscurarit. nam cum inquit, Qui statuit in corde suo firmus, illud adiunxit, Non habens necessitatem, potestatem autē habens. Atqui illud consentaneū erat dicere, qui statuit firmus, neque rem turpem esse existimat. At id erat acerbius. Quamobrem pro eo lenius, ac mitius aliud adhibuit, & ut re mitigata magis ad hanc causam accessit. neque enim tam graue est rem necessitate, quā proposito dedecore prohibere. nam hoc imbecilli, & miseri animi est, illud & peruersi, & qui de rerum natura recte iudicare non possit. Sed nondum bene maturum erat, eum inferre sermonem. non enim urgente necessitate, eam impediri oportere, quæ uirginitatem colere instituerit, sed cōtra potius omnibus, quæ præclarum hunc impetum interrumpant, fortiter occurrere, ex Christi oratione cognosce. Qui amat patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus. Nam cum aliquid eorum, quæ Deo probantur, efficiamus, quicumque id prohibuerit siue pater, siue mater, siue quiuis, is inimicus, & hostis esto. Sed Paulus ferens adhuc auditorum imperfectam rationem, scripsit in hanc sententiam: Qui autem statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem. neque uero hic terminauit orationem. atqui non habens necessitatem, & potestatem habens, idem est. Sed tum longa oratione,

tum

Matth. 10.

tum perpetuitate concessorum, eos, quorum esset simplex, & parua ratio, consolatur iis, quæ dicta sunt, aliā præterea causam adiungens, Qui iudicauit in corde suo. neque enim liberum esse, satis est; neque ob id solum debet; sed tum, cum delegerit, & statuerit, recte facit. deinde, ne propter summam indulgentiā nullum putes esse interuallum, rursus discrimen ponit, & quidem id ipsum reprimens hisce uerbis. Igitur & qui matrimonio iungit uirginem suam, bene facit; & qui non iungit, melius facit. quo tamen loco quā id præstet, ob eam rursus causam, minime declarauit. Quod si id scire uis, Christum loquentem attende. Neque nubent, neque uxorem ducent, sed sunt sicut Angeli in cælo. uide interuallum, quā in excelsum locum uirginitas, cum eiusmodi est, mortale corpus extollat. Qua enim, quæso, re differebant ab Angelis Helias, Helisæus, Ioannes, ueri hi uirginitatis amatores? nulla; nisi quod mortali natura constabant. nam cetera, si quis diligenter inquirat, hi nihilo minus affecti reperientur, quā beatæ illæ mentes: & id ipsum, quo inferiore conditione uidentur esse, in magna est eorum laude ponendum. ut enim terrarum incolæ, & ii, qui essent mortali natura, possent ad illam uirtutē ui, & cōtentione peruenire, uide, quāta eos fortitudine, quanta uitæ ratione præditos fuisse oporteat. Virginitatē fuisse, quæ tales eos reddiderit, ex eo perspicuum est. nam si uxores habuissent, & liberos, haud facile adducti essent, ut & in solitudine uiuerent, & suas familias contemnerent, & reliqua, quæ necessaria essent ad uitam, non compararent. Nunc uero his omnibus soluti uinculis, tanquam in cælo, sic in terris diuersantes non parietibus,

LXXIX.  
Nulla re inferioriorem Angelis fuisse Heliam, & qui eius similes fuerunt: & uirginitatē fuisse, quæ tales reddiderit.

tibus, non tecto, non lecto, non mensa, non aliis eius generis rebus indigebant, quin illis cælum erat protecto, solum pro strato, pro mensa solitudo, & quæ sterilitas solitudinis, aliis famis effectrix uidetur, sanctis illis uiris suppeditabat rerum omnium copiam. nam ipsis neque uitibus erat opus, neque torculari, neque frugibus, neque messe, sed uberem, & suauem potum fontes, fluminaq; & stagna præbebant. Instruxit autem angelus uni mensam admirabili quodam, & incredibili apparatu, supraq; hominum consuetudinem; Vnus enim panis fatis fuit, inquit, ad quadraginta dierum tolerandam inedia. Alterum autem sæpius aluit Spiritus sancti gratia, admirabilia opera facientem, neque eum modo, sed etiam per eum alios. Qui uero plusquam propheta fuit, Ioannes, & quo non surrexit maior inter natos mulierum, humani cibi non indiguit: non enim pane, non uino, non oleo, sed uitam locustis, & siluestri melle tolerabat. Vidisti in terris angelos, uidisti uirginitatis uim, homines sanguine, & carne coagmentatos, et in terris uestigium facientes, & mortalis naturæ necessitati subiectos, ut illi corporis expertes, ut cælum iam adepti, ut immortalitatem sint consecuti, ita te compara, ut ista omnia efficias. Cuncta enim illis erant superuacanea, & non modo quæ per se superuacanea sunt, ut delicia, opes, potentia, gloria, & reliqua horum corona somniorum, sed illa etiam, quæ uidentur necessaria, & domus, & oppida, & artificia. hoc est honestum, & assidue decorum esse. hæc est uirginitatis uirtus. Admirabilis enim res est, & maximis digna præmiis tum in libidinis rabie uictoria, tum in furore naturæ continentia; sed ita admirabilis, si hæc adfit

LXXX.  
Quid sit honestum, & assidue decorum esse.

adsit uitæ ratio. nam ipsa per se imbecilla est, nec satis ad illos conseruandos, qui ea præditi sint. ac nobis eius rei testes esse possunt, qui uel hodie uirginitatem colunt; tantum enim absunt ab Helia, ab Helisæo, ab Ioanne, quantum terra distat a cælo. ut enim si honestam assiduitatem sustuleris, ipsos uirginitatis neruos excideris, ita si ipsam cum optima uitæ ratione colueris castitatem, radices & fundamentum bonorum possederis. quemadmodum enim stirpes solum fertile, & opimum, sic præclarum uiuendi institutum uirginitatis fructus alere solet. quin etiam radix, & fructus uirginitatis est uita, quæ cruci consentanea sit. Hæc generosos illos uiros in admirabilem uitam deduxit. nam eos, omnibus circumcisus uinculis, uti liberis, leuibusq; pedibus tanquam aues ad cælum uolarent, dimisit. ubi enim neque uxoris famulatus, neque cura liberorum, ibi est summa inopiæ facilitas. nos uero non modo terroribus, curisq; aut periculis, sed aliis omnibus difficultatibus liberatos, inopia proxime tollit ad cælum. Nam cui nihil est, tanquam si adsint omnia, sic is cuncta despicit, magnaq; & in Principes, & in potentes, & in eum, qui diademate ornatus sit, loquendi libertate utitur. pecuniam uero qui spernit, is recta progrediens, mortem etiam facile contemnit; atque iis excelsior nihil timens, aut tremens, liberius loquitur apud omnes; qui uero pecuniæ operam dat, is non modo seruus est pecuniæ, sed opinionis, honoris, huius uitæ, omnium denique (ut uerbo complectar) mancipium est eorum, quæ ad uitam pertinent. quamobrem ipsam malorum omnium radicem Paulus appellauit. Sed uirginitas potis est & hanc radicem exurere, & egregiam alteram animis

LXXXI.  
Quantum sit bonum inopia

Q mis

mis nostris inferere, quæ fructetur, & bonorū omnium fructus edat, libertatem, licentiam, ardens cælestium bonorum studium; terrenarum uero rerum omnium contemptionem; & ita honesta, ac decora fit assiduitas. Sed quænam est ista sapiens oratio multitudinis? Abraham patriarcha, inquit, uxorem habuit, & liberos, copias præterea, greges, & armenta, & tamen Ioannes tum Baptista, tum Euangelista uterque uirgo; Petrus præterea, & Paulus continentia laude florentes, ut in illius sinum ueniant, deprecantur. quis uero tibi id dixit uir optime? num propheta? nū euangelista? Christus inquit ipse. nam cum in centurione summam esse fidem uidisset, ait, Multi uenient ab oriente, & occidente, & recumbent cum Abraam, Isaac, & Iacob. Lazarus etiam una cum illo in deliciarum abundantia a diuite uidetur. Sed quid id ad Paulum? quid ad Petrū? quid ad Ioannem? nam neque Lazarus, neque Paulus, neque Ioannes, neque multi ab orientis, & ab occidentis solis partibus cætus erant Apostolorum. quamobrē nobis ista superuacanea est, & inanis oratio. Quod si omnino scire uis, quæ sint præmia Apostolorum, ex illo cognosce, qui ea daturus est. Amen dico uobis, quod uos, qui secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Neque usquam hic Abraam, neque eius, neque filii filius. nusquam ibi sinus, ubi illi recipiantur; sed multo maior honor eis habebitur, quippe qui sedentes de illorum posteritate iudicabunt. Nec uero hoc solum inter eos constat esse discrimen, uerum quod Abraam adeptus est, id multi assequuntur. Multi enim, inquit, uenient

uenient ab oriente, & occidente, & recumbent cum Abraam, Isaac, & Iacob, in sellis autē illis tantum sedebit sanctorum uirorum chorus, præterea nemo. Num igitur, quæso, etiam nunc ouilia, armenta, nuptias, liberosq; meministi? Quid ergo id est, quod multos uirginitatis cultores tanto effuso sudore, precibus petere dicit, ut in eum locum perueniant? Ego uero illud adiungam, non paucos ex iis, qui uirginitatem coluerint, neque sinum illum, neque multo minora assecuturos, sed in ipsam geennam peruenturos esse. ac uirgines id illæ ostendunt a thalamo exclusæ. num igitur coniugium est propterea uirginitati par? an hæc etiam illo deterior? ipsam enim tuo exemplo inferiorē facis. Nam, si, qui uxorem duxit, Abraam in quiete, deliciisq; uersatur, uirgines cruciantur in geenna, sequitur enim, ut id ex uestra ratione suspicemur. sed non ita est, non, inquam, est ita. non enim solum non concedit uirginitas, sed est etiam coniugio longe præstantior. quo nam id modo? quod nec connubium eū, qui fuit, reddidit Abraam, nec omino miseras illas perdidit castitas uirginalis. At Patriarcham reliquæ uirtutes illustrarunt, istas uero sempiternis flammis cetera uitia tradiderunt. Ille enim etiam in coniugio dedit operam, ut exequeretur officia castitatis, honestatem uidelicet, & assiduitatem; at istæ uirginitatem diligentes, in hos uitæ fluctus, & connubii turbas inciderunt. Quid igitur prohibet, inquit, quo minus nunc etiam in coniugio, in liberis, in pecunia, in aliis denique omnibus honestas ista, & assiduitas seruari possit? Primū quod nemo hac ætate cum Abraam conferri potest, ne prope quidem ad eum accedere; etenim magis ille

Q u i pecuniam,

EXXII.  
Contra eos,  
qui dicunt, uir-  
ginitatis cul-  
tores precari,  
ut in sinum A-  
brahæ perue-  
niant.

Luc. 18.

Matth. 19.



pecuniam, diuitiasq; contempsit, quàm qui inopiam profitentur. cumq; uxorem haberet, magis etiam, quàm qui uirginalem castitatem colunt, sibi in uoluptate temperauit. isti enim quotidie flagrant coniunctionis cupiditate, at ille libidinis ardorem usqueadeo restinxit, usqueadeo nulla cupiditate irretitus est, ut nō modo se a concubina abstineret, sed ut inde causam omnem pugnae, & dissensionis extirparet, domo ipsam eiiceret. at nunc id reperire non facile est. Sed his omissis, quod initio dixi, id repetam, etiam in praesentia, non eundem a nobis, & ab illis uirtutis modum requiri. neque enim nunc quisquam perfectus esse potest, nisi uendiderit omnia, nisi omnibus renuntiauerit, neque pecuniae solum, aut domui, sed propriae etiam uitae curam abiecerit. at nullum tantae perfectionis tum specimen fuit. Quid ergo est? perfectior ne, inquit, nostrae huius uitae ratio est, quàm tū Patriarchae fuerit? deberet quidem, & ea lege sumus astricti; sed hac uiuendi regula non utimur. Quamobrem longe ab illo iusto uiro absumus; licet & illud omnino perspicuum sit, maiora nobis certamina esse proposita. Itaque quo loco diuina scriptura Noe admiratur, non simpliciter, sed cum appositione quadam id facit. Noe enim, inquit, uir iustus atque perfectus in generatione sua, Deo probatus est, non quòd omnino perfectus esset, sed ut illa aetate. multi enim perfectionis modi temporum uarietate definiuntur; sitq; imperfectum procedente tempore, quod olim absolutum uidebatur. exempli causa, dabatur olim perfectae laudi ex lege uiuere; Qui enim fecerit, inquit, haec, uiuet in eis. Verum quae fuerant tum absoluta, Christus aduentu suo imperfecta esse

LXXXIII.  
Non eundem uirtutis modum nobis, & illis, qui ueteri testamento uiuerunt, esse propositum.

Gen. 6.

Leuit. 18.

esse docuit. Nisi enim, inquit, abundauerit iustitia uestra plusquam scribarum, & phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum. nam tum ad poenam caedes modo proposita esse uidebatur, nunc ira, ac solum conuicium tantam habet uim, ut homines geennae cruciatibus possit addicere. in adulterium tum erat tantum animaduersio constituta, nunc mulierem petulanter aspice re ne impune quidem licet. tum scelus erat tantummodo peierare, nunc est uel iurare nefas. Quod his, inquit, abundantius est, a malo est. hanc aetas illa maximam laudem propositam habuit, ut sui studiosis in amore responderet: hoc tempore magnum illud, & admirabile tantum abest a rei perfectione, ut id adepti nihilo plus, quàm publicani, assequamur. sed quamobrem tandem eorundem rectefactorum nobis, & iis, qui ueteri testamento uiuebant, eadem praemia constituta non sunt, sed maiori nos uirtute nitamur, oportet, ut eandem, quam illi sunt assecuti, mercedem consequamur? quòd magna nunc effusa Spiritus sancti gratia, magnum nobis Christi aduentu munus impertitum, ex infirmis perfectos reddidit. Vt igitur nos a liberis nostris, cum iam pubuerunt, multo maiores uirtutis actiones requiramus; & quae ab illis prima aetate rectefacta, prius laudabamus, eadem postea, cum se aetas corroborarit, ab eisdem perfecta non ita admiramur, sed longe maiora iubemus efficere: sic & Deus primis illis temporibus tanquam ab infirmorum hominum natura haud magna facinora requisit: ut uero illi Prophetas, & Apostolos audiuerunt, ac Spiritus sancti gratiam sunt assecuti, iure ipsis maiorem constituit rationem rectefactorum. nam & maior nunc merces proposita est, & splendidiora multo

Matth. 5.

Matth. 5.

LXXXIII.  
Iure eorundem rectefactorum nobis, & illis, qui ueteri testamento uiuerunt, non eandem mercedem esse propositam.

Rom. 7.

multo certaminis præmia constituta sunt. nõ enim iam terra, aut terrena, sed cælum, & quæ mente non consequimur, recte facientibus bona proponuntur. Quid? nonne absurdum sit, cum simus ætate confirmata, in illa nos exiguitate continere? tum enim inter se hominum natura dissentiebat, belloq; perpetuo premebatur, quod Paulus illis uerbis declarauit, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis, at nunc non ita est. quod enim possibile erat legi, in quo infirmabatur lex per carnem, Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato peccatum condemnauit in carne. Quamobrem Paulus illa est usus actione gratiarum, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Deo per Iesum Christum. Propterea iure plectimur, quòd expediti cursum impeditorum assequi nolumus; quanquam uel si in eo pares illis esse possimus, ne sic quidem liberi sumus a pœna. nam qui summa pace perfruuntur, eos multo maiora, & illustriora trophæa statuete oportet, quàm qui grauius bello premuntur. Quòd si in pecuniæ, deliciarum, uxorum, negotiorum denique cura, & cogitatione uersari uolumus, quando erimus uiri? quando spiritu uiuemus? quando, quæ Domini sunt, nobis curæ fuerint? an cum hinc migrauerimus? at nõ erit præterea laborum, aut certaminum, sed præmiorum, & pœnarum dies. Tum ne uirgini quidem, quæ in lampadibus oleum non habuerit, id ab aliis sumere licebit, sed excludetur. Quòd si quis sordidum uestitum indutus affuerit, ad permutandam uestem exire non poterit, sed ad ignem geennæ trahetur. Quòd si ipsum

ipsum etiam inuocauerit Abraam, nihil id ei fuerit adiuuamento; ubi enim aduenerit præfinitus iudicio dies, proq; tribunali iam federit iudex, & flumen igne fluxerit, deq; nostra uita, & moribus quæsitum fuerit, non præterea permissum erit exuere uitia, sed uelimus, nolimus ad supplicium propter illa ipsa peccata nobis debitum, trahemur; quo tempore nemo nos Deo reconciliare poterit, ne si quidem par libertate sit magnis illis, & admirabilibus uiris, etiam si Noe, si Iob, si Daniel, etiam si pro liberis deprecetur, nihilo tamen plus proficiat. tantum necessario superest, ut fontes perpetuo torqueantur, quemadmodum qui recte fecerint, sempiternis bonis perfruantur. tam enim his, quàm illis finem nullum Christus fore declarauit. ut enim uitam, sic pœnam sempiternam futuram dixit: nam aliis tum a dextera constitutis, aliis a læua condemnatis, Ibunt, inquit, isti ad pœnam æternam, iusti uero ad uitam æternam. Quamobrem in iis omnibus hic agere, & laborare oportet, & qui uxorem habet, sic uiuere, ut si non habeat; & ita ad uirginitatis cultum reliquas omnes uirtutes adhibere; ne, cum ex hac uita migrauerimus, frustra lacrymas effundamus.

FINIS.

Mendosa loca sic legantur. 13.b.21. curiosus? & ab eo. 15.b.16. si, qui. 16.27. ea prauitate. 16.b.7. adhibete. 18.26. possim. 21.3. redigit? 26.b.13. habeant. 27.6. admonitione. 31.3. igitur id Iudæis. 36.15. temperasset, & omnino omne. 36.b.12. impedimentum accersierit. 37.23. quæ præter. 45.b.20. angitur. 48.31. efferant. 53.2. capiantur. 58.20. facere potest. 60.25. uirginitatem autem fuisse.

